PARS TERTIA
PHILOSOPHIÆ.

METAPHYSICA CURIOSA.

Authore
R. P. ADALBERTO TYLKOWSKI
è Societate JESU.

I. De Ente.

OBjectum Metaphysicæ est Ens. *Attributa* sunt Entis quæ ratione nostrâ primum conceptum Entis consequuntur: quia scilicet sub attributo rationem Entis concipimus cum aliqua negatione vel denominatione extrinseca. Talia censentur quinque. Unum, aliquid, res, verum, & bonum. Sed *aliquid* & *res* nihil dicunt supra Ens. *Ens* ut *reale habet principia*, tàm intrinseca quàm extrinseca. *Intrinseca* quidem *essentiam*, *existentiam*, *subsistentiam*, *aut inhæsionem*. *Extrinseca* verò causas sui. *Habet* etiam *passiones* alias *incomplexas*, ut, quòd sit, unum, verum, bonum. Alias *complexas*, ut quòd sit finitum, vel infinitum, necessarium vel contingens, &c. *Veræ* autem *sunt istæ passiones*, quia ante opus intellectûs competunt enti in sua universalitate sumpto, & sine illis potest Ens concipi, & ipsæ inter se distingvuntur, & ens consequuntur. *Passiones enti nihil superaddunt reale*, quia superadderent ens, & illud rursus haberet passiones, & sic in infinitum. Si autem addant, ut *addunt*, *aliquid rationis*, non sequitur hic processus. Quia ex illo non sequitur passio vera. *Ens de suis passionibus prædicatur quid-*

ditativè. Bonitas enim v. g. non eſt quoddam ens rationis, ſed ipſa Entitas rei, res enim ſub illa ratione eſt bona, ſub qua eſt appetibilis & perfectiva appetentis. *Et licet ens de ſuis passionibus prædicetur quidditativè, illæ tamen non ſunt ſpecies entis*, quia non de ſolis ſpeciebus hoc modo poteſt aliquid prædicari, ſed etiam de ſeipſo aliter accepto, ſicuti in præſenti contingit. *Paſſiones entis dicunt ens formaliter & in recto* ſi objectivè præſcindamus connotativè verò & in obliquo id quod Enti addunt, quia paſſiones Entis involvunt quidditativè & principaliter ipſum Ens, ac propterea paſſiones licet ſecundùm id quod Enti addunt non ſint reales, ſunt tamen formaliter Entia realia, quia in rectoEns dicunt, & connotant id quod addunt, additum autem vel eſt relatio rationis, vel connotatio, ſed fundamentum reale habet, Ens ſcilicet, quod ſub tali relatione vel negatione poteſt concipi. Plato in Sophiſta contendit propriè id ac ſimpliciter dici & eſſe Ens quod in ſe continet omne eſſe omnesque gradus ac perfectiones Entis, qualis eſt ſolus DEus: homines verò & reliqua partim entia partim non entia. Unde ſimpliciter in 1. Phyſ. tt. 15. ſicut album id propriè dicitur quod eſt propriè & ſincerè album omni permixtione nigroris vacans, ita Ens quod eſt purè & ſincerè omni permixtione non Entis, hoc eſt defectu Entis carens propriè & abſolutè dicitur Ens, unde S. Auguſt. Confeſſ. 11. *Inſpexi cætera infra te ô DEus & vidi nec omninò eſſe nec omninò non eſſe.* Ita tota ſua latitudine ſumptum Ens nulla habet principia extrinſeca. Sic enim DEum includit, qui caret ejusmodi principio. II.

II. De Uno & Individuo.

UNum est id quod est indivisum in se: nec opus addere *& divisum ab omni alio.* Quia si per impossibile non esset possibilis ulla creatura à qua DEus posset distingvi, adhuc DEus esset unus, esset enim indivisus in se. Sed ut passio sequitur ex unitate *esse ab aliis divisum.* Unitas alia est *simplicitatis* ut in DEO, alia *compositionis* ut in composito, alia *rationis* extrinseca, qualis in universalibus: alia *similitudinis*, quatenus à parte rei plura sunt in aliquo similia, alia *aggregationis* qualis in exercitu, &c. Principium individuationis formale & intrinsecum sunt res ipsæ: individuatio siquidem est ipsa rei quidditas, quare sicut res non potest habere essentiam specificam formaliter, per aliud à se ita nec individuationem. Principium extrinsecum in ordine ad quod desumitur individuatio aliqui volunt causam, quòd scilicet ex hac portione materiæ in his circumstantijs non posset esse alius effectus. Sed negamus hanc respectivam individuationem in absolutis entibus cùm hic effectus potuerit esse in alijs circumstantijs ita B. Virgo & Patres non meruerunt Incarnationis substantiam, meruerunt circumstantias istas. Itaque poterat hæc humanitas poni intra alias circumstantias. Et opinionem nostram fovet sensus Piorum communis: qui gratias agunt quòd non sint nati in alijs circumstantijs, inter Turcas, &c. Omne Ens reale est individuum, est enim à parte rei unum, ita ut nequeat dividi in plura quæ habeant eandem rationem cum illo. *Principium individuationis*

nis non potest esse ipsa essentia rei: Nam apud objectivè præscindentes potest concipi natura sine singularitate. Et hæc certè non est de conceptu illius. Natura enim ex se nec est singularis, nec universalis: alioqui si esset, alterum esse non posset. *Neq; materia signata quantitate* est principium individuationis. Quia entis per se unius, non potest esse principium constitutivum Ens unum per accidens. Individuum verò est ens unum per se: materia cum quantitate est ens per accidens. Præterea individuum substantiale non potest constitui ex accidente. Insuper effectus formalis materiæ non est facere unum indivisum in se. *Nec forma* individuat. Quia formæ essentia non petit esse singularis aut universalis. *Neq; existentia*, quia hæc solùm petit rem poni extra causas. *Neq; quantitas*, quia hæc est accidẽs, unde individuare substãtialia non potest inesse substantiali, imò ante quantitatem debet supponi substantia individua, neque enim nisi particularis sit, accidentium est capax. *Per illud* ergo Petrus *individuum est*, per quod non potest dividi in plura, estq; hoc quid reale positivum, scilicet ipsa hæcceitas seu differentia quædam substantialis substantiam accidentalis contrahit accidens specificum ad individuum, sicut differentia specifica contrahit genus ad speciem & illam constituit atque ab omni alio distingvit. Hanc differentiam Averr. 5. Metaphys. vocat hypostasim: Varro hæcceitatem: Plotinus terminum internum: Proclus diotropias, hoc est proprietates intimas. Et certè quæcunque differunt per aliquam differentiam differunt, itaque & individua hoc modo differunt. Hæc verò *hæcceitas*
non

non est per aliam hæcceitatem hæc, sed per seipsam; sicut nec albedo per aliam albedinem est alba. *Est verò una numero quò, non quod.* Non facit unum hoc ab alio specie distinctum, quia non contrahit naturam genericam. *Unitas in particulari est multiplex*, in communi est una omnibus communis. *Unum non est omninò idem cum Ente*, sed illi aliquid superaddit, ut est 4. Metaphys. tt. 3. Quia prædicatio unius de Ente, non est identica. *Unitas est quid negativum*, quia licet secluso quovis positivo, adhuc est Ens unum, secluso tamen negativo hoc est indivisione, Ens quidem habetur, sed non concipitur unum. Neque enim ex eodem habet Ens & esse & unitatem, nam ab esse absoluto habet quòd sit Ens, ab indivisione unitatem. *Unitas Entis non est accidens*, quia DEUS est unus absque ullo accidente, imò quovis ablato accidente manebit Ens unum. Et accidens cùm sit Ens per aliud accidens deberet reddi unum, convenit enim accidenti, ut ratio Entis, ita unius. *Neque unitas est modus entis positivus*, nam modus etiam ipse est unus. *Unitas particularis potest dicere partium connexionem*, quia sic, homo est unus, sed insuper hoc conjunctum est unum transcendentaliter. *Unum ut distingvitur ab Ente nullam dicit perfectionem*, ita 1. p. q. 6. a. 3. ad 1. Dicit enim negationem divisionis, & est formaliter non Ens, fundatur tamen in aliqua perfectione & illam in Ente connotat. *Neque unitas dicit relationem ejusdem ad seipsum*, Relatio enim est inter duo Entia, ac proinde inter duo una, quocirca relatio non constituit sed supponit unitatem. *Indivisio* enim *non fundatur in identitate sed im-*

 mediatè

mediatè in ipsius entis natura. Siquidem Ens in sua natura est indivisum solùm ex eo quia est Ens. *Unum formaliter dicit Ens connotando negationem divisionis in se*, ita ut unitas sit Ens indivisum. 1. Metaph. tt. 3. Quia per idem est res una per quod distingvitur ab alijs. Ab eodem enim principio res accipit unitatem & distinctionem, res verò distingvitur ab alijs per suam entitatem, itaque per illam est una. Et inde unum definitur. Id quod est indivisum in se & divisum ab omni alio. Et licet passio physica cùm distingvatur à re cujus est passio non sit tantæ perfectionis ac res ipsa: aliud tamen est de passione Metaph. quæ etiam potest constitui formaliter per suum subjectũ cum aliqua cõnotatione. *Unitas est Ente posterior*, eo modo quo idem seipso est posterius diverso modo consideratum. *Unitas non est negatio multitudinis*, quia unitas est prior multitudine, negatio verò est posterior eo quod negatur. Nam multitudo præsupponit unitates quibus constat, non autem unitas præsupponit multitudinem, quocirca negatio multitudinis est posterior unitate, negatio enim multitudinis præsupponit multitudinem, multitudo unitatem. *Indivisio à se non constituit unitatem*, siquidem potest competere multitudini, multitudo enim est à se indivisa, ita enim hæc est multitudo ut non sit alia. *Neq; unitatem constituit indivisio in se*, sed talis unitas non competit multitudini, nam hæc est divisa in se. Multiplex enim est de quo dici potest, hoc non hoc, in multitudine autem unus homo in ratione hominis non est alius homo, ut ostendit Scotus 4. Metaph. tt. 3.

III. De Vero.

ENtis Veritas est quædam in esse sinceritas, secundùm quam unumquodque ens dicitur verè esse id quod est. *Datur veritas entibus communissimi, ut est 2. Metaph. tt. 4.* Quia omnia entia habent suam entitatem, per quam sunt verè talia. Dicimus enim lapidem verè esse lapidem, lignum verè esse lignum. *Hæc veritas entibus convenit ex eo, quòd sint entia.* Quia est entis proprietas, & ideò sunt res veræ quia sunt entia: & ab eodem principio res est id quod est, & verè est id quod est. *Veritas est passio Entis,* quia oritur ex ipso ente. *Veritas nihil superaddit enti,* quia ex eo est res vera quia est ens. *Nec constituitur veritas per negationem extranei,* quasi ideò vera esset quod extranei nihil admixtum habet, hoc enim est consectarium. Ideò enim admixtio extranei tollit veritatem rei, quia tollit conformitatem ejus ad suam mensuram & principia, quia nimirum facit rem non esse talem qualem exposcunt illius rei esse principia; itaque conformitas ad principia constituit potius veritatem quàm illa negatio. Et sicut falsum dicitur quod deviat à suis principiis, ita verum quod est illis conforme. *Mensura veritatis sunt ideæ in mente divina existentes.* Quia etiam domus est vera, quia conformis est ideæ artificis. Veritas enim rei, est conformitas illius ad suam mensuram, ideæ verò divinæ sunt rerum omnium mensura. Omnia enim entia sunt per participationem Dei. *Res ergo sunt veræ non per denominationem extrinsecam nostri intellectus,* sed per in-

trinsecam relationem conformitatis ad illas ideas. Noster enim intellectus potiùs mensuratur à rebus; quàm illas mensurat, ideò enim noster actus est verus, quia conformis objecto: imò res potest esse vera etsi actui nostro non conformis. Contingenter enim nostrum intellectum respicit neque ab illo per se dependet. Cùm tamen res cognoscimus non cogitamus expressè de illis ideis, sed confusè, quia solum cogitamus in communi mensuram. Si autem perfectissimè cognosceremus, uti in cœlo cognoscuntur, etiam ideas cognosceremus. *Res aliquæ sunt magis veræ, aliquæ minus*, ut dicitur 2. Metaph. cap. 1. Quia non ad ideas illas referimus, respectu quarum omnes sunt æquè veræ, sed referimus ad aliquod in genere analogum, & respectu illius aliqua minùs vera dicimus. *Ideas* autem *dicimus*, quia licet de facto una sit Idea in Deo, non tamen consideramus qualis sit in sua entitate in Deo, sed qualis in repræsentatione, & cùm multa repræsentet multas ideas dicimus. Sed cuinam Ideæ DEus ipse ut est verus commensuratur non alij quàm sibi ipsi. Hæc enim mensura illi utpote infinita non repugnat. *Idea* verò *ipsa sibi est regula, quia* rectum est sui & obliqui index. Juxta hanc ideam, & nostri conceptus ut sunt Entia mensurantur. Quilibet enim conceptus sive sit verus sive falsus de rebus, est entitativè verus, quatenùs verò sunt repræsentativi mensuram ab objecto sumunt, ut tum sint veri in repræsentando, quando rebus conformantur. *Veritas* transcendentalis non addit aliquid positivum supra Ens, nam illud additum etiam esset verum. Nec addit relationem rationis quia

ante illam est ens verum, nec realem quia illa est etiam vera, sine alia relatione, nec denominationem à cognitione quia prius ex parte objecti est verum quàm actus sit cognoscens verus: imò omni ablato intellectu adhuc ens esset verum. *Falsitas* autẽ non est carentia perfectionis requisitæ seu imitatio apparens, nam aqua non est aurum falsum licet careat perfectione auri. Consequitur hanc veritatem cognoscibilitas quæ in Ente reali est vera, in ficto ad imitationem.

IV. De Bono.

BOnitas est multiplex. *Bonitas naturalis* est convenientia alicuj⁹ formæ naturaliter perficientis subjectum, sic omnes perfectiones naturales dicũtur bona naturæ. *Bonitas moralis* spectatur in actionibus humanis prout sunt rationi conformes. *Bonitas entitativa* est transcendens entis passio *est passio*, siquidem Ens consequitur, & ex ejus principiis oritur, ideoque etiam est *passio realis*. Bonitas *addit enti*, quia possumus concipere Ens non concipiendo bonum. *Bonum non constituitur formaliter per ordinem ad appetitum*, quia esse appetibile est consequens ad bonitatem. Ideò enim appetitur aliquid quia est bonum, non è contra bonitas enim est causa appetendi. *Bonum formaliter consistit in relatione convenientiæ*, quia ideò quid appetimus quia nobis conveniens, & fugimus tanquam malum quia non est conveniens. Sed *hæc convenientia est ad seipsum*, quia prior hæc est quàm illa quæ alteri facit conveniens. Priùs enim est bonum esse in se quàm

bonum

bonum alteri, per bonitatem enim suam est quid bonum alteri. Item, illa prior convenientia ab Ente separari non potest. Posterior est separabilis. Calor enim non est bonus aquæ quamvis entitative sit bonus. *Bonum non addit aliquam Enti realitatem*, quia illa etiam ipsa cùm sit bona deberet per aliam entitatem esse bona. Et ablatâ illâ realitate est ens bonum. *Bonum si rei dicit integritatem non differt à vero.* Verum enim est quod omnia requisita ad suum esse habet, vel quod est cum negatione defectûs. *Bonum non consistit in negatione*, quia est passio positiva. Ideo enim bonum dicimus quia habet positivam quandam bonitatem. *Malum variè bono opponitur.* Contradictoriè opponitur bono entitativo; quia hoc est ens, illud non ens. Quod enim non est nullam habet bonitatem & sic malum sumitur quatenus non est ens. Opponitur privativè quia dicit privationem alicujus perfectionis. Contrariè, quia dicit difformitatem. *Bonum alteri* est vel honestum, vel delectabile, vel utile. *Delectabile* quod voluptatem movet. *Utile* quod ad istorum acquisitionem conducit. Sed nullum horum transcendentale cum non in omnibus entibus reperiatur.

V. De Essentia, Existentia, & Possibilitate.

EXistentia est quid intrinsecum rei & ratio formalis per quam res est actu. Essentiæ creaturarum priusquam à Deo producantur nullum habent in se verum & reale esse, alioqui non essent crea-

tæ nec essent ex nihilo. *Esse possibile* non provenit à mera DEI Omnipotentia quia etiam intrinsecè in se creaturæ sunt possibiles & ab æterno producibiles cùm sint entia realia etiam prout distincta à Dei omnipotentia. Dicit enim de suo conceptu intrinseco ordinem transcendentalem creatura ad DEum, scilicet ab illo posse produci, & ita in obliquo infert causam sui productricem. In eo statu possibili non dicit meram negationem alioqui non esset eadem cum existente, sed dicit in recto Entitatem quæ potest existere : status tamen diversos respicit. Existens importat Entitatem realem & actualem, possibilis Entitatem realem sed non actualem & absolutam, verùm conditionalem, *si produceretur esset*, Rectè dixit S. Thom. q. 3. de potentia a. 5. ad 2. *Quidditas creata antequam esse habeat, nihil est, nisi forte in intellectu creantis, ubi non est creatura, sed creatrix essentia.* Unde creatura ab æterno possibilis solùm Entitatem habuit conditionatam. Sicut sub esse possibili manet ab æterno essentia ita & existentia. Sicut existentia nihil addit supra entitatem actualem ita entitas actualis, non distingvitur ab essentia. Existere enim est esse actuale: Futurum & possibile non sunt ens simpliciter sed cum addito. Nempe ens futurum, ens possibile. Deus cum creatura in eo convenit, quòd etiam per identificatam existentiam existat, sed in eo differt quòd ille necessariò existat, creatura simul cum essentia amittat existentiam. Propositiones necessariò sunt veræ ab æterno solùm in sensu conditionato v. g. *Homo est animal.* Hoc est si homo existeret, esset animal.

mal. Atque ita existentia essentiæ est actus Logicus neque recipitur in aliquo uti Physico subjecto. Quare inter essentiam & existentiam compositio est solùm rationis. Possibilitas extrinseca in hoc consistit quòd dabilis sit causa quæ rem hanc potest producere. Hæc possibilitas nunquam datur sine intrinseca, cùm ad se dicant ordinem transcendentalem. Ens & non ens distingvuntur si non ens dicat meram negationem non autem essentiam sine existentia. Existentia accidentium est accidens, substantiarum substantia. Conceptus existentiæ non est rem esse extra causas, quia DEus existit nec est extra causas cùm illas non habeat, sed est, esse actu essentiam. *Ens est quid concretum* concrescit enim sicut homo ex humanitate ita ex essentia. *Privationes non habent essentiam*, quia esse privationem est non esse formam. *Essentia est ens ut quo*, seu ratio formalis entis, hoc enim modo concipitur. *Quod essentia constituatur ex pluribus prædicatis hoc provenit ex ejus imperfectione.* Quia essentia divina est perfectissima & indivisa, omnes in se inferiores continens *imperfectiones*. *Res ab æterno secundùm essentias non fuerunt*, quia cum essentia non distingvatur ab existentia, si fuissent secundùm essentiam, fuissent etiam secundùm existentiam. *Ex eo quod essentia rerum habuerint de se propositiones æternæ veritatis non est nec esse essentias fuisse ab æterno.* Quia etiam hæ potesse ab æterno. Chimæra est Chimæra, nihil est nihil, impossibile est impossibile, Sunt enim æternæ veritatis. Nam licet homo est necessariò animal rationale, hoc tamen ex suppositione, si est ho-

mo.

mo. Hominem autem esse non est necesse. Sed concipimus hominem esse realem cui necessariò insit prædicatum rationalitatis, non tamen per hoc affirmam⁹ hominē ab æterno fuisse animal rationale, Sed quod quandocunq; extiterit perit animal rationale. *Ut res cognoscatur non est opus ut habeat esse extra intellectum.* Nam etiam non entia cognoscimus. Multò minùs hoc necesse respectu DEi, qui non accipit speciem à rebus. Ipsa enim essentia Dei Deo res repræsentat. *Si essentia realiter ab existentia distingveretur, esset ante existentiam, in mundo.* Quia distinctio realis supponit utriusq; termini existentiam. Item, quæ realiter creata distingvuntur possunt saltem divinitùs sine se existere. Habet enim illorum quodlibet suum esse. Item si essentia esset ab æterno, ubinam esset locorum? si verò ab æterno non est, producitur: si producitur, accipit esse. Rursus corrumpatur essentia manente existentiâ, quid de illa fiet? *Neque existentia ex natura rei ab essentia distingvitur*, quia quæ sic distingvuntur eorum unum non involvit aliud, si ergo essentia non involvit existentiam, non existit formaliter. *Neq; existentia est modus essentiæ.* Quia non distingvitur ab illa realiter. *Existentia ab essentia solùm distingvitur ratione ratiocinatâ*, quia datur fundamentum distinctionis. *Existentia Dei ab ejus essentia nullo modo distingvitur.* Quia est de conceptu illius essentiæ quidditativo. Essentia enim Dei omnem perfectionem includit, at verò existere est perfectio. *De essentia creaturarum est existentia aptitudinalis*, quia essentiale est illas posse existere. *Actualis existentia non est de essentia creaturæ.* Quia ex

ercere

ercere essentiam, id est existere, est illis contingens. Est enim actus secundus essentiæ, & hic ab essentia dicto modo distingvitur. *Essentia ad existere & non existere & solùm negativè indifferens*. Quia antequam existat non est ens. Et ipsa essentia hoc modo est in potentia ad existentiam, & res ad seipsam. *Existentia in creatis est ratione posterior quàm essentia*, quia est effectus formalis essentiæ. *Existentia non est accidens essentiæ*, quia accidens suum subjectum præsupponit. *Existentia non est passio essentiæ*, quia passio est accidens, & subjecto accedit. Habet se tamen existentia per modum accidentis ad essentiam. *Existentia in communi ex se nec est quid substantiale, nec accidentale*, quia alia est substantiæ, alia accidentis, itaque in communi sumpta ab utroque abstrahit. Nam si esset substantialis de accidente prædicari non posset: si accidentalis de substantia non diceretur. *Inter essentiale alicui & verum accidens datur medium*, nam animal nec est de essentia rationalis, nec est illius accidens; sed est gradus contrahibilis per rationale. Ita & differentia individualis, nec est de essentia rerũ, nec est illarum verum accidens. Accidentis etiam existentia non est accidentis accidens, sed subjecti, cui cum suo accidente accidit. Proinde *existentia in communi est quoddam transcendens*. Item *Existentia est actus essentiæ quatenùs est essentia*. Quia actus est qui facit rem in actu, essentia autem in ratione essentiæ est per existentiam, itaque existentia est actus essentiæ quatenùs est essentia. *Existentia non est modus Metaphysicus essentiæ*, quia modus rem non perficit, sed in eadem perfectione facit rem. Aliter ac aliter se habere, existen-

istentia perficit rem. *Existentia in diversis speciebus est ipsa specie diversa*, quia effect⁹ formæ procedentes à diversis formis & ipsi sunt diversi, at verò existentia est effectus formalis essentiarum. *Inhærentia actualis non est de essentia accidentis.* Quia potest accidens non inhærere actu. *Aptitudinalis est de essentia*, quia cùm accidens ex sua essentia sit ens imperfectum, petit inhærere. *Inhærentia accidentis est unio illius ad suum subjectum.* quia taliter inhæret subjecto.

VI. De Substantia, Subsistentia, & Supposito.

NOn *est conceptus substantiæ substare alicui*, quia Deus nulli substat. Sed esse primum conceptum rei quæ est in bonum illius, & non oriri ab alio sed si qui sunt alij ab illo oriuntur. Deus licet non sit primus conceptus positivè non enim conceptum secundum habet qui realiter à primò oriatur: Est tamen primus negativè, quia non habet alium primum cui adveniat. Unio compositi est substantialis pertinet enim ad primum conceptum. Sine subsistentia non datur homo sed humanitas: ideò & hæc est substantialis, & quia actio productiva substantiarum non pertinet ad ejusmodi conceptum non est ipsa substantialis. Actio enim est extra totum conceptum hominis: imò ab illa homo distinguitur. *Accidentis conceptus non est inhærere*, quia etiam unio inhæret, itemque formæ materiales à subjecto dependent. *Sed* est id quod sint se-

cundus eſt conceptus. *Spiritualis entis eſt in hoc conceptus quod petat eſſentialiter carere careatque omni compoſitione extenſiva.* Omnis verò ſpiritualis ſubſtantia neceſſariò eſt intellectiva, quia ſi nō intellectiones, nullā aliam exerceret operationē, adeoq; non eſſet natura. *Natura* eſt prima radix operationum qualis in homine humanitas. Hæc ex ſe non eſt incommunicabilis alteri. *Subſiſtentia* eſt ultimus terminus hanc tollens communicabilitatem, & indifferens eſt ad terminandam quamcunque naturam. Sed ſi terminet rationalem facit Perſonam, ſi quamcunque, ſuppoſitum. *Hypoſtaſis* etſi aliquando dicebat ſubſtantiam, communius idem eſt quod ſuppoſitum. *Perſonalitas* eſt quid poſitivum. Inde ut docet S. Th. 1. p. q. 30. a. 4. Nomen Perſonæ non eſt nomen negationis. Et pro hac re Suar. adducit SS. PP. Et certè ſi aliqua perſonalitas alicui naturæ uniretur conſtitueret illam in rationē perſonæ non per aliquid negativum, illa enim perſonalitas ſuppleret aliquid connaturale naturæ. Inſuper ſi perſonalitas eſſet negatio uniri naturæ non poſſet. Negatio enim fundatur ſemper in aliqua entitate poſitiva. *Subſiſtentia non eſt de eſſentia humanitatis ſed hominis.* In qualibet de factò natura creata reperitur. *Eſt* verò *ens* abſolutum. Atque adeò in compoſito tres ſunt partiales ſubſiſtentiæ. In rebus materialibus eſt diviſibilis, ſiquidem pars una ſine alia poteſt ſubſiſtere. Effectus formalis ſubſiſtentiæ eſt reddere naturam incommunicabilem alteri ſuppoſito. Non repugnat naturam creatam ſubſiſtere per plures ſubſiſtentias

dum-

dummodo sint propriæ quia nulla illarum negabit effectum formalem alterius. Multò faciliùs successivè pluribus terminari potest. Repugnat eidem naturæ subsistere hic per propriam, alibi per alienam subsistentiam ob effectuum formalium pugnam. Sed est possibile eandem naturam creatam spoliatam suâ hypostasi per tres divinas subsistere, quod docuit S. Th 3. p. q. 3. a. 6. neque enim per hoc alteri supposito communicaretur. Possibile est item naturam Petri terminari subsistentiâ Pauli. Possibile etiam omni substantiâ spoliatam manere, cùm licet in alieno ubi non possit esse, possit tamen in subsistentia aliena, sicut licet sine omni ubi nequeat, poterit tamen esse sine omni hypostasi. Subsistentia est conditio requisita ad agendum non autem principium, quia tamen solùm est concomitans conditio spoliata omni subsistentia natura posset quidquam operari, nam & ante subsistētiam operatur, dum illam sibi producit. Actiones tribuuntur suppositis potiùs quàm naturæ quia; natura consideratur per modum partis pars autem licet sit principium proximum adæquatum, non dicitur operari ut quod, sed ut quo. Quia ex eo quod sit, est illud, quo aliud operatur. Causa subsistentiæ eadem est quæ cæterarum passionum, subsistere enim non ita se habet sicut in accidente inhærere, quod ideo suæ inhæsionis esse causa nequit, cùm inhærere accidentis non sit posterius quid ab accidente. *Accidens non est suppositum*, quia per se non subsistit. *Si una natura plures haberet subsistentias non essent plura supposita.* Quia ad unitatem termini sub-

ſtantivi ſufficit unitas formæ, id eſt, naturæ per illum terminum formaliter ſignificatæ, ut docet S. Thom 1. p. q. 26. a. 4. & q. 39. a. 3. Homo autem v. g. eſt terminus ſubſtantivus formaliter ſignificans formam, ſeu naturam humanam, ideò ut ſimpliciter dicatur unus homo, ſufficit unitas naturæ, eſtò ſit pluralitas perſonalitatum. Unus enim homo non dicit unitatem perſonæ ſed naturæ. *Si plures naturæ unicâ ſubſiſtentiâ terminarentur non eſſent plures*, v. g. homines. Nam in rebus quæ prædicantur tanquam per ſe ſtantes & ſubſiſtentes non poteſt eſſe prædicatio in plurali ſine multitudine & formæ & ſuppoſitorum habentium formam illam. Si enim vel forma, vel ſuppoſitum non multiplicetur, ſed alterum tantùm, ſingulariter ſolemus uſurpare nomen ad ſignificandam hujusmodi formam impoſitum. Si enim habeat aliquis v. g. duo regna, non dicimus eum eſſe duos Reges, ſed unum: idque propter ſingularitatem ſuppoſiti, etſi forma per illud nomen Regis formaliter ſignificata ſit multiplex. Ita & in DEo licet ſint tres perſonæ, profitemur unum DEum propter ſingularitatem formæ denominantis. Licet enim natura quæ ſubſtantivè denominatur vel prædicatur, ſit tantùm una: vel certè quamvis ſint plures naturæ & unum ſuppoſitum, denominatio vel prædicatio debet eſſe in ſingulari. Quia multitudo ſignificat diviſionem, diviſio autem ſignificat negationem unius vel unitatis, ratione cujus negationis unum poteſt dici non eſſe aliud: at unitas ſuppoſiti impedit hujusmodi negationem. Si ergo

 una

una personalitas plures naturas terminaret, propter illam ipsius unitatem non dicerentur plures homines sed unus homo. Hæc enim est differentia inter substantiva & adjectiva concreta, quòd adjectiva singulariter vel pluraliter dicuntur ex sola entitate vel pluralitate suppositi habentis formam. Substantiva verò pluraliter dicuntur ex pluralitate & formæ & subjecti simul; singulariter verò ex unitate formæ aut subjecti.

VII. De intelligentiarum existentia.

COppinus & Quintinus negabant Intelligentias, uti refert Bellarminus lib. 2. de Amissione Gratiæ cap. 1. Sed his Hæreticis plùs sapuerunt, & agnoverunt eas dari omnes Philosophi. Demonstrari earum existentia à priori nequit, quia carent causâ sui necessariâ, qualem ejusmodi demonstaratio exigit, à posteriori hæc affertur. Quia astra cùm non vivant debent ab aliquo moveri, itaque ab intelligentijs. Quia natura effectibus ordinarijs causas secundas providit ordinarias, quod verò causæ motrices cœlorum intellectivæ esse debeant, facilè persvadet tam ordinatus, tam varius cœlorum motus, principium etiam tale debet esse corruptionis expers, quia cùm cœli apti sunt moveri in æternum, nulla autem virtus corporea, ut dicitur 8. Physic. est apta movere æterno tempore: Itaque debent esse spirituales. Corporeum enim agens agit per organa materialia, quæ labefactabilia sunt. Has etiam intelligentias dari ostendunt.

dunt. Vires naturæ excedentia obſeſſorum opera, ut lingua Peregrina, penſio in aere, notitia oculto-rum, &c. Numerum Intelligentiarum definire non eſt facile. S. Athanaſ. ad q. 6. Antiochi, eſſe ex quorundam ſententia ad res corporeas, ut 99. ad 1. ſed S. Gregor. homil. 32. in Evangelia, plures cenſet homines quàm Angelos: nam tot ſolùm cenſet, quot erunt homines Beati. Theologi nu-merum asſignant, & in tres Hierarchias partiun-tur, quarum ſingulæ tres choros contineant hoc ordine, Angelos, Archangelos, Principatus, Domi-nationes, Poteſtates, Virtutes, Thronos, Cheru-bim, Seraphim: *Intelligentias dari conveniebat.* Tum propter perfectionem Univerſi quod omnia Enti-um debet continere genera: tum propter divinam Bonitatem cui magis convenit producere res per-fectas quibus ſe perfectiori modo communicet. Tum etiam quia omne agens intendit ſibi asſimila-re paſſum: Et Deus in productione rerum ſuam illis imprimit ſimilitudinem. Deus ergò cùm ſit ſpiritualis & intellectualis, conveniebat illi ſpiritu-ales & intellectuales produxiſſe creaturas. *Plato in hunc modum ordinabat Intelligentias*, in ſex ordines illas diſponendo. 1. In primo ordine Deum pri-mum omnium rerum principium, primamque In-telligentiam. In 2. Deos ſecundos quos à primò factos volebat, qui eſſent Ideæ bonorum particu-larium. In 3. Intellectus participantes dictas Ide-as. In 4. Animas cœleſtes motrices orbium. In 5. Dæmones quos volebat eſſe internuncios inter Deum & homines, & habere animas ſpirituales,

corpo-

corporibus verò constare immortalibus aëreis ac
invisibilibus. 6. Deinum, animas hominum. S.
Th. 1 p. q. 50. a. 3. docet quòd Aristoteles statu-
erit alias Intelligentias intelligentes, alias supercœ-
lestes, prioribus assignat motum cœlorum: poste-
riores vult assistere Primæ Intelligentiæ & rerum
omnium causæ, ejusque nomine gubernationi ac
conservationi rerum præesse, mandata primæ ad
Inferiores deferre. Hæ à Græcis nominatæ Nun-
cij seu Angeli. Colligitur id ex 1. Cœlitt. 10. has
voluit non senescere, non mutationi esse ob-
noxias, sapientissimas. Ita Ethnici hanc veritatem
ut Noctuæ solem intuebantur. *Posse esse Intelli-
gentias præter coelorum motrices* illud ostendit, quia li-
cet non moveant cœlos adhuc aliquid aliud pos-
sunt operari. Et *de factò esse* illud probat, quod in
obsessis miras videamus fieri operationes, miras o-
pera Magorum, in nullam aliam causam reducibi-
les. Et quia decet Deum ut magnum Principem
in sua domo habere familiam: decet ut inferiora
per illas gubernet, & suam per illas providentiam
exequatur. Nam res inferiores per superiores
gubernat, & quod aliqua tota species non intereat,
aut ab alia non consumatur: quòd bestiæ se de die
in latibulis contineant ne homini noceant, noctu
verò prodeant dum homines se condiderunt Intel-
ligentijs adscribendum. *Intelligentiæ non sunt in-
ter se æquales*, quia inter illas aliter ordo & guberna-
tio locum non haberet. *Excedunt numerum rerum
sensibilium* ut docet S. Dion. de cœlesti Hierarch. c.
14. Quia cœlum capacius quàm terra, & si in ter-

ra tot sunt res, multò plures debebunt esse in cœlo, cùm sicut terra locus sensibilium, ita cœlum locus intelligibilium. Et cùm Deus omnia fecerit propter suam bonitatem manifestandam, & quidem sensibilia ut in illis eam intellectualibus ostenderet ipsas verò naturas intellectuales per se intenderit, multò plures conveniebat produci intellectuales quàm sensibiles. Videmus etiam à natura multò plures productas res perfectiores quàm imperfectas. Hinc mixta plura simplicibus, viventia plura mixtis inanimatis, animalia plantis, homines quavis alia specie animalium: Itaq; & Intelligentiæ plures sunt quàm homines. Et si Deus ita se communicavit sensitivis ut plurima produceret, quantò magis conveniebat ut se intellectualibus communicaret, adhuc plura producendo. *Causam effectricem Intelligentiarum nescivit Aristoteles*, quia nullam aliam productionem agnovit quàm quæ per motum. 3. Metaph. tt. 3. Ideoque illas ab æterno esse voluit. Plato qui asserebat secũ[n]dos Deos esse per participationem summi Dei, etiam agnovit intelligentias esse productas, sed fortè modum quo productæ non intellexit. Platoni adstipulatur veritas, quòd scilicet sint productæ. Sunt enim entia limitata, itaque à se esse non potuerunt.

VIII. De Essentia Intelligentiarum.

INter *Intelligentias aliquæ differunt specie.* Quia etiam inter sensibilia quæ minùs sunt perfecta invenitur hæc differentia. *Una* etiam *Intelligentia est ex*

natura

natura sua superior alterâ, alioqui ordo inter illas esse non esset. Ex quo etiam sequitur aliquas genere differre. Omnes voluit specie distinctas Aristoteles 12. Metaph. tt. 49. Sed *non desunt quæ solo numero* differant, quia ad individuationem non est opus materiâ. *Immortales* esse pleraque eadem argumenta probant, quæ ostendunt animarum nostrarum immortalitatem. *Ab æterno illas non fuisse* id ostendit, quia nulla creatura potuit esse ab æterno. *Immateriales* indicant actus earum à materia separati, ut probat Philos. 3. de Anima tt. 4. *Sempiternas* probat ex eo quia sunt motus sempiterni scilicet circularis principia 12. Metaph. tt. 30. Sempiternum enim esse non potest, quod materiam habet, quæ est subjectum corruptionis propter appetitum ad formam novam, & propter hoc *non sunt compositæ ex materia & forma*. Intelligentiæ *non sunt quantæ*, tum quia materiæ quantitas est passio: tum quia si essent quantæ magnitudinem haberent, eam verò non possunt habere infinitam, quia non est possibile actu infinitum: & nullum motum localem facere possent. Sed neque finitam, quia sic non haberent vires ad movendum in infinitum, ad quod requiritur major virtus quàm quæ possit inesse moli finitæ ut ostenditur 8. Phys. tt. 79. *Intelligentiæ non sunt actus puri*. Non quia potentias habent activas, hoc enim non excludit puritatem actûs, sed quia potentiam passivam habent, sunt enim ens ab alio tàm in fieri quàm conservari, itaque & possunt non esse. *Componuntur ex genere & differentia*, cùm enim genus in suo conceptu non

includat differentiam cum ea componit. *Possunt habere perfectiones quas de facto non habent* qui de facto à multis perficiuntur accidentibus, ut à speciebus, ab actibus intelligendi, volendi. Contrarius in hac parte veritati est Philosophus 12. Metaph. 30. qui etiã cogitur illas asserere esse perfectionis infinitæ, cùm nullam illis censeat posse advenire perfectionem. Verùm *intelligentiæ in substantia non possunt esse infinitæ*, quia sunt plures, in eodem verò genere plura infinita esse non possunt, quia unum contineret omnem omnium perfectionem, si enim non contineret finitum ac limitatum esset, & si plura easdem omnes perfectiones haberent à se non differrent. Præterea una subordinatur alteri Intelligentia, quod non posset fieri si omnes perfectionis essent infinitæ. *Infinitæ non sunt in vigore.* Quia vires ita habent adæquatas suis orbibus, ut si cœlo Lunæ una accederet stella, jam ab eadem intelligentia cœlum hoc moveri non posset. Præterea virtus infinita non convenit nisi infinitæ substantiæ, qualis non est intelligentiarum. Nam neque omnia intelligunt, neque omnia possunt. *Ex eo quòd unum gradum intellectui participent non sequitur illas non esse plures specie.* Quia & bruta sunt plura specie licet eundem gradum sensitivi participent. Et quia plures possunt esse specie, possunt esse plures & numero. Quia de ratione speciei est posse prædicari de pluribus numero, atque esse latiùs patentem quàm sit individuum. Et certè si unicum solùm individuum esset possibile species cum illo converteretur, at verò de ratione speciei est priorem

esse

esse naturâ, seu esse id, à quo non convertitur subsistendi consequentia. Possum enim dicere: est Petrus, ergo homo, non è contrà. Præterea natura Angelica non infert ex suo conceptu singularitatem. Limitari etiam potest licet non per materiam, tamen per differentiam, sicut hoc ipsum patet in nostris animabus, quarum quælibet succesivè potest informare plures materias, sicuti etiam materia potest & solet pluribus formis specie distinctis. In intelligentijs etiam ipsis intellectionum numerus ad idem numero subjectum se habet. *Intelligentia non ita se affigit alicui objecto ut circa illud voluntatem mutare non possit.* Probat hoc Damasc. lib. 2. de Fide cap. 3. *Nam omne creatum mutabile est, solum autem increatum immutabile.* Fulg. lib. de Fide, ad Petrum cap. 3. pro eodem sic. *Si possibile esset ut humana natura postquam à DEO aversa bonitatem perdidit, rursus ex ipsa bonitatem habere potuisset, multò possibiliùs hoc haberet Angelica, quæ quantò minùs gravatur terreni corporis pondere, tantò magis hâc esset prædita facultate.* Ac si diceret si homini ad reparandum sufficerent humanæ vires, multò magis Angelis qui majores habent ad resiliendum à malo quod semel amplexi, & rursùs cap. 23. *Si Angeli naturaliter fierent immutabiles, nunquam de eorum consortio diabolus & Angeli ejus cecidissent.* Intelligentia enim postquam aliquid elegit adhuc manet libera, itaque potest apud illud se retinere, vel ab eo recedere. Et non major libertas ad hoc posterius requiritur, quàm ad illud prius. Neque ita in consideratione unius objecti defigitur, ut non

illud

possit ad considarationem alterius transire jam si consideratio non est naturâ suâ immobilis, neque electio immobilis erit, & si potest cessare à cognitione hujus objecti, poterit & minùs illud considerare, & oppositum magis, atque ad illud transferre voluntatem. *Doloris capax est intelligentia.* Non quidem ut dolor dicit passionem appetitus sensitivi, sed ut actum quendam simplicem voluntatis refugientem & aversantem malum. Quia talis dolor substantiæ spirituali non repugnat.

IX. *De intellectu, intellectione Intelligentiarum.*

INtelligentiarum intellectio est accidens. Ita 1. p. q. 14. Quia Intelligentiæ adveniunt cognitiones de novo. Saltem Deus illi de novo aliquid revelat. Rursus, cùm intellectio in nobis sit ex sua natura accidens, etiam in Intelligentia erit accidens, quod enim est in alio accidens non potest esse in alio substantia. Præterea ex limitatione entis provenit quòd ejus perfectiones sint accidentia. Nulla autem substantia limitata continet accidentium perfectiones, quia sicut de nullius essentia est esse, ita nec operari. *Intelligentiæ res alias intelligunt per speciem.* 1. p. q. 55. Scot. in 2. d. 3. quia earum intellectus est potentia incompleta & per speciem completur. Recordantur etiam præteritorum, quod non fit nisi per specierum conservationem. Unde *etiam res præsentes per speciem intelligunt.* Nam essentia sua Intelligentijs res alias præter se non reprae-

præſentat. Quia illas neque realiter neque intentionaliter continet, ſpecies autem uniunt intellectum cum objecto, quæ unio neceſſaria eſt ad cognitionem. *Intelligentiæ poſſunt ſe ipſas cognoſcere.* Quia ens immateriale poteſt ſeipſum ad ſe convertere, igitur poteſt ſeipſam in ſe reflectere. Propterea 3. de Anim. tt. 5. dictum. In his quæ ſunt ſine materia idem eſt quod intelligit, & quod intelligitur. *Poteſt ſeipſam Intelligentia cognoſcere intuitivè,* quia ſibi ipſi eſt præſens. Aliud eſt de Anima noſtra quæ licet ſibi ſit præſens, tamen primò per ſe dum eſt in corpore, nata eſt intelligere materialia reliqua verò ex materialibus. *Seipſam intelligit ſine ſpecie,* Quia ad ſeipſam cognoſcendam illius intellectus & determinatus & completus. Quia illius ſubſtantia per ſeipſam eſt actu intelligibilis & intellectiva, intellectus autem emanat è ſubſtantia Intelligentiæ ut eſt actu ſub utraque ratione, & ideò emanat plenè actuatus ad intelligendam ſubſtantiam, maximè cum ſubſtantia creata non ſit per ſe activa, ſed per ſuas qualitates ſeu potentias. Ita Cajet. in 1. p. q. 54. a. 3. *Una intelligentia cognoſcere poteſt aliam.* Quia eſt objectum proportionatum intellectûs cum ſit ens immateriale: *Cognoſcit* verò etiam *de facto*, quia aliter non poſſet quæ eſt inter illas Reſp. & Societas conſervari. Sed *una non poteſt aliam per ſuam ſubſtantiam tanquam per rationem intelligendi cognoſcere.* Quia unius ſubſtantia non repræſentat aliam ſaltem quoad differentias & proprietates. *Poteſt ex ſe cognita venire in cognitionem alterius*, quia una alteri vel genere, vel ſpecie eſt

ſimilis,

ſimilis. *Non poteſt aliam diſtantem cognoſcere per ſubſtantiam illius*, quia ſi diſtans ſit, non unietur intellectui. Cùm enim intellectio ſit vitalis debet procedere à principio quod eſt intellectui unitum, vel tanquam forma, vel tanquam comprincipium illius. *Cognoſcit ergò per ſpeciem*, quia talis ſpecies eſt proportionata & posſibilis, & apta complere intellectum. *Species Intelligentiarum procedunt à ſubſtantia illorum per emanationem*, Cajet. 1. p. q. 70 a. 2. Id clarum videtur de ſpeciebus rerum materialium, ipſe enim non poſſunt profundere ſpecies intellectui proportionatas, id eſt immateriales, neque ab objecto materiali Intelligentia poteſt determinari ad ſpeciem ſpiritualem, deberet enim ab illo jam cognito determinari. Neque enim pura objecti exiſtentia agit in intellectum, nam etiam non exiſtens objectum cognoſcitur. In homine intellectus per phantaſmatis actionem determinatur. Sed neque *à ſpirituali ſubſtantia poteſt accipere ſpecies*, quia ſubſtantia non eſt immediatè activa. *Species intelligibiles ſunt connaturales intellectui Intelligentiarum*. Pertinent enim ad complementum perfectionis ejus. Sunt enim in ea connaturalia cognitionis principia, perfectiones autem connaturales ipsa ſibi ſubſtantia profundit. Hinc eo noſter intellectus habet vim ſibi producendi ſpecies, & intelligentiæ ſine dubio produxerunt ſibi ſpecies rerum quarum recordantur. Et ſicut licet noſter intellectus continet virtualiter ſpecies, quia illas producit, adhuc tamen eget ſpeciebus: ita & intellectus illarum egebit productione

ctione specierum. Nam neque frigefacit ex eo, quòd in sua virtute contineat frigus, sed producto frigore, neque ignis calefacit nisi producto calore. *Quo intelligentia superior eò pauciores habet species.* S. Dion. c. 12. S. Th. 1. p. q. 55. Qnia magis accedit ad simplicitatem DEI. *Illæ tamen species plura repræsentant.* Quia quæ sunt in inferioribus dispersa, sunt in superioribus collecta. Quæ ergo inferiores intelligentiæ per plura cognoscunt, illæ inferiores per pauciora. *Intelligentia inferior superiorem quidditativè cognoscit*, ex quo S. Dionys. hierarch. cap. 4. dixit. Angelos superiores esse quasi cibum inferiorũ, quia superior inferiorem non ita excedit ut ejus etiam intellectum excedat. *Intelligentia superior inferiorem comprehendit* quia etiam inferior seipsã cõprehẽdit, *Intelligentia res singulares cognoscit*, quia saltem orbẽ quem movet cognoscit ut ab illo distinctum. Cognoscit etiam suum motum hodiernum ab hesterno esse distinctum. *Cognoscit & inferiora sublunaria*, quia propter bonum illorum cœlos movet. Alioqui ut ait Scalig. exerc. 359. n. 11. Essent in cœlo sicut jumenta quæ obvoluto capite ad molas circumagendas, quas non cognoscunt, adiguntur. *Cognoscunt autem per species singularium.* S. Th. 1. p. q. 56. Quæ eadem species diversè repræsentat, seu concurrit ad objectum absens & præsens, quod fit ratione diversi modi. Species enim cùm repræsentet totum objectum & omnem modum realem ipsius, facit ut intellectus terminet suum actum cognoscendi ad ipsum objectum prout est in se. Cùm ergo actu existit objectum, intellectus terminat

suum

suum actum in ipso objecto prout est in se, & conoscit ut præsens. Absente verò objecto quia actus intelligendi terminatur ad objectum non est in actu exercito, sed quasi in abstracto, ideo intellectus per eandem speciem nullo modo immutatam cognoscit objectum & actu præsens & absens. Tota autem mutatio tenet se ex parte objecti. Non possunt cessare à sui cognitione, quia sunt ad illam determinatæ, & cum debeāt esse in actu vitæ, qui in illis est sola intellectio circa nullum potiùs objectum illam debent elicere.

X. *De Voluntate Intelligentiarum.*

QUia, ut docet S. Thomas 1. p. q. 69. a. 1. ad omnem formam sequitur appetitus seu inclinatio, quæ ut in inanimatis est naturalis. Ita in sensitivis sensitiva, in intellectualibus voluntas. Quocirca cum Angeli sint intellectivi habent voluntatem, non habent verò Passiones sensibiles cùm non sint ipsi sensitivi. *Libera* eorum *voluntas*, quia sequitur intellectionem per quam proponitur ratio boni convenientis indifferenter. *Sunt mutabiles*, quia nihil est quod necessitet, imò dixit S. Damascenus. Quidquid creatum est mutationi subsit, necesse est ideò sicut intellectus Angelicus potest à verò, ita voluntas à bono deficere. Et hinc evenit quod sæpè ad contraria successivè incitent Dæmones. quòd medijs contrarijs utantur. Hinc etiam possunt Intelligentiæ relicto bono facere malum; & relicto majori bono minus eligere. Non possunt

poſſunt ceſſare ab omni voluntatis actu, & ſaltem ſeipſas amant.

X I. *De Motu intelligentiarum.*

MOventur motu continuo ſucceſſivo, quia talis motus datur, & in ſpatio ac tempore in quo moventur partes deſignari poſſunt. ergo dum partem poſt partem tranſeunt id faciunt ſucceſſivè. Nihilominùs cùm non ſint in loco per commenſurationem sicut ſunt corpora non neceſſariò priùs unam partem loci deſerunt poſtea aliam: ſed poſſunt totum ſimul unum locum deperdere, & totum simul alium acquirere, ac proinde moveri motu diſcreto conſtante ex pluribus mutationibus inſtantaneis, per quarum ſingulas deſerunt totum ſimul locum priorem, & acquirunt totum ſimul poſteriorem: juxta S. Th. neque tamen ſunt ſimul in termino, à quo & ad quem, quia prius ubi illarum deperderent per inſtans intrinſecum ſeu per terminum non eſſe illorum, aliud verò ubi acquirerent per inſtans intrinſecum, ſeu per primum ſui eſſe acquiſiti ſcilicet. Unde licet poſitiva termini ad quem: & privativa id eſt, amisſio termini à quo, fieret in eodem inſtanti temporis, tamen non eſſet Angelus ſimul & in termino à quo & ad quem. Quia quando eſſet per primum ſui eſſe in termino ad quem, jam non eſſet in termino à quo per primũ non eſſe. Aliud eſt de corpore in quo mutatio loci, non poteſt fieri niſi per motum ſucceſſivũ deſerendo per

partes unum locum, & similiter per partes acquirendo alium qui motus cùm non possit incipere nisi intrinsecè per ultimum non esse, non est mirum quòd etiam illo instanti quo ultimò non est motus sit adhuc ultimò quies. Angelus verò potest mutare locum in instanti totum simul deserendo, & totum simul alium acquirendo, proinde non est necesse ut quies illius desinat intrinsecè. Hinc ulterius. Angel⁹ inferior etsi posset conficere idem spatium æquali tempore determinato quo superior; tamen pluribus mutationibus plurium ubi totalium egebit. Quia superior Angelus supponitur majorem occupare locum. Potest intelligentia esse in loco majori vel minori, quia nihil est quod necessitat ut se applicet ad totum locum sibi possibilem. *Non potest esse in pluribus locis adæquatis simul*, quia locus adæquatus ita intelligentiam includit, ut simul importet negationem præsentiæ tam actualis quàm aptitudinalis nunc ad alium locum: *neque potest esse in duobus locis dissitis etiam inadæquatis*, quia sic à se divideretur, hinc dæmon duos homines obsidere non potest, nisi spatium intermedium implendo. Potest tamen circulariter esse in aliquo corpore, illius medium non occupando. *Possunt esse plures in eodem loco*, non enim sunt quanti. *Quævis anima nostra habet suum custodem Angelum.* Ita Trismegistus cap. 12. Pimandri: *Quibuscunque animis Mens præsidet suo illos fulgore illustrat. Mens illa sic animæ bonum procurat, ut sanitatem corporis medicus.* idem sensus Aristotelis apud Clem. Alex. lib. 6.

Strom.

Strom. cap. 6. Idem Epicteti apud Anianum l. 1. cap. 14.

XII. De Loco Intelligentiarum.

Potest *intelligentia esse in loco indivisibili.* V. g. in puncto si daretur, quia illi utpotè indivisibili locus ejusmodi est proportionatus. Potest se etiam loco divisibili coëxtendere. *Potest esse in loco & non operari actione transeunte*, nam defacto animæ in cœlo nihil agunt transeunter. Præterea priùs est esse in loco quàm operari. Quod verò attinet actus internos Intelligentiæ. *Potest in loco A existens applicare virtutem suam ad locum C.* Hoc enim nihil est aliud quàm velle efficaciter operari in loco C, & defacto in cœlo existentes Intelligentiæ sunt paratæ in terra operari, si hoc illis fuerit imperatum. Atque ita in loco non sunt per operationem sed præsentiam suam, per hanc enim sunt hîc & non alibi. *Per operationem* tamen *dici possunt esse in loco* si loco inexistere est operari. *Sunt in loco definitivè*, quia ita sunt totæ in loco ut totæ in quavis parte sint loci. *Si sunt in loco per operationem possunt transire ex loco in locum non transeundo medium*, quod vult S. Thom. quia possunt in loco A operari & non in B. & statim in C, operari. *Intelligentia tam res corporeas quàm incorporeas potest localiter movere*, quia motus hic rebus his utrisque est communis, & quasi transcendens. *Non quodvis corpus quævis Intelligentia movere potest.* Quia quæ potest movere orbem minorem, non potest majorem. Nam si-

cut Intelligentiæ in alijs perfectionibus se excedunt ita & in motiva. Hinc, *non quævis aliam loco movere potest.* Ipsa autem quævis *moveri potest motu successivo*, quia potest aliquem implere locum, & ex eo paulatim se in alium transferre. *Potest etiam motu discreto*, quia cùm sit indivisibilis, potest simul hîc tota desinere esse, & alibi tota esse quo casu existentia in loco novo non copulabitur cum existētia in loco priore quia in loco priore jam omninò desijt. Qui mot' ut non erit ens per se, sed per aggregationem, ita & tempus quod illi respondebit, quales motus & tempora in corporeis non reperiuntur. Et cùm hoc motu discreto fertur Intelligentia, non censetur transire medium, quia statim locum priorem totum deserit, & totum novum implet: Partes autem loci prioris ultimas, & novi primas non transit quæ sunt in hoc casu medium. Si autem non in contiguum locum transiret, sine dubio deberet per locum interpositum se deferre, alioqui eo instanti intermedio nullibi esset. Omnis autem substantia creata debet esse alicubi ut ait Sanctus Hilar. can. 5. in Matth. *Quidquid creatum est alicubi est.*

XII. De Intelligentiarum Locutione.

Habet Intelligentia species actuum liberorum alterius intelligentiæ, sed DEUS cum illis non concurrit ad intellectionem nisi volente aliâ Intelligentiâ, hoc enim requiritur ad gubernationem & ordinem intellectualis naturæ ut sua possit occul-

tare

tare cum velit, & pendere cùm velit. Non caret autem illis speciebus alia Intelligentia, quia illæ ad naturalem ejus spectant perfectionem. Sed Actus interni cùm sint in ordine Entium liberorum requirunt voluntatem se manifestandi. Modum hujus manifestationis vult esse Durandus in 2. dist. 8. quòd in corpore aliquo v. g. cœlo, depingant signa suæ voluntatis. Verùm hoc modo positæ ubi non esset corpus, mutæ essent, & à corpore in operationibus naturalibus dependerent. Non tamen repugnat his illas signis uti, tanquam epistolâ. Gregorius vult illas manifestare per signa aliqua, contorquendo se in certas figuras, ut muti faciunt, sed si ita loquuntur uni loqui non possunt quin ab omnibus audiantur. Alij dicunt intelligentias habere qualitates nostris vocibus similes ad placitum, sed spirituales. Verùm hæc signa uti, & nostræ voces, solùm in confuso repræsentarent, nec modus apparet quo ista signa ab illis possunt effici. Alij docent quòd loquens in audiente producat cognitionem. Sed hoc fieri non potest; quia cognitio illa non esset vitalis, utpotè extrinsecùs producta. *Verius est quòd per hoc una loquatur alteri quòd permittat actus suos ab illa cognosci,* quia voluntas est in causa quòd actus sint occulti, itaque & ipsa erit in causa quòd fiant manifesti. *Modum quo intelligentiæ nostros actus intelligant* explicat S. Aug. l. de divinat. dæm. Cogitationes nostras & assensus certò scire possunt sed per conjecturam, maximè verò ex inspectione phantasiæ & specierum ejus. Intellectus autem quando cum phantasia conjungitur opera-

tur actum similem illi qui est in phantasia saltem indeliberatum, licet non exprimatur necessariò cum assensu.

XIII. De Potentia Intelligentiarum & Notitia Futurorum.

MOveri *localiter* possunt corpora loco, ita possunt duæ Intelligentiæ ita sibi viribus obniti, ut duo viri cùm luctantur, sed non quælibet potest corpus cujuslibet gravitatis movere, quia quælibet habet finitam potentiam. *Nulla aliam potest producere*, quia ad hoc virtute creativâ opus. *Nulla potest producere aliquam qualitatem materialem*, quia debet esse in eodem ordine effectus cum causa secunda, & effectum continere. Aliud est de prima causa, quæ est illimitata ad omnem ordinem, sed exercet omnem ordinem, & omnium ordinum perfectiones, quia in se omnes includit. Vis insuper activa Intelligentijs nulla inest alia, nisi intellectûs & voluntatis, quæ nullam materialem qualitatem respiciunt. *Non potest etiam producere quasvis spirituales qualitates*, sed solos actus intellectûs & voluntatis habitus & species intelligibiles. Quia hæc sola per intellectum & voluntatem creatam fieri possunt. *Non potest* Intelligentia *nosse futura* libera certò, sed per conjecturam tantùm; multò tamen probabilius quàm nos conjicere potest, quia nobis sagacior, magis & plura experta circa hominem, novit propensiones & complexionem, quibus non rarò non reluctamur. Vendunt nihilominus sequiores Intelligentiæ præsentia dissita, aut etiam præterita pro futuris. Hoc modo

modo inundationem Nili ex idolo prædicebant Ægyptijs quia nimirum post aliquoties centena milliaria ad fontes Nili ingentes conspexêre imbres, quos vel natura, vel earum solertia adduxit. De cætero fassus Aristoteles apud Originem lib. 7. contra Celsum, initio. Dæmones in oraculis falli & fallere: imò ipse Tullius de divin. l. 2. numerat non pauca Apollinis fallacia edicta. Quæ omnia Christo Domino nato obmutuisse audacter impro-perat Gentilibus lib. 10. Theodoretus contra Græcos. *Nullæ divinationes ad Castalias aquas fluunt, nullæ ad Colophonium fontem, nihil prædicit liber Thesprotinus: nihil tripus ille Cirrhæus, Dodonæum tintinnabulum nihil nugatur: nihil loquitur vulgatissima illa quercus. Jacet Apollo, Delius, Pythius, Clarius, Didioneus, silentium est in Lebadia, & in Trophonij antro: obmutuit Amphilochus, Amphiaraus obmutuit, & Ammonis oraculum.* Fassus hoc ipsum Phorphyrius lib. de Orac. apud Eusebium de præparat. Evangel. lib. 6. cap. 4. cùm dixit: *Exquisita futurorum cognitio, non hominibus modo, sed multis eorum DEorum incomprehensibilis.* Oenomanus certè apud Græcos, uti refert Euseb. l. 5. de præpar. cap. 10. quàm plurima Delphici Apollinis falsa adnotavit. *Nesciunt* itaque *futura contingentia*, quia neque in se possunt sciri cùm nondum existant, neque in causa, cum qua non habent necessariam connexionem, uti habent futura necessaria. *Falluntur* autem & fallunt arrogando sibi hanc notitiam, & quod ex conjectura habent veluti scientiam affirmant, propensiones etiam nostras sæpè gratia Dei, aut aliqua occasio avertit aliò:

sæpè etiam à Providentia præpeditur, Intelligentia deterior, ne, quod constituit, & ex eo futurum prædixit, exequatur. Multa denique DEus præter communem rerum cursum operatur. Nonnunquam tamen DEus ministerio bonorum Angelorum aliqua illis denunciat. Hæc omnia docet S. Augustinus lib. 2. de Genesi ad literam cap. 17.

XIV. *De Viribus intelligentiarum circa quævis corpora.*

CAlefacere immediatè neminem potest, nisi applicando aliquid calefactivum: cùm calor vires ejus non ingrediatur, utpotè materialis potentia. Sed potest ignem ex aere dejicere, ut fecit Jobo. Potest etiam *imbres turbines* immittere, & eorum ope ædificia diruere, *terræ motus* ciere, vel in cavernas immittendo spiritum, vel latentem concutiendo, tali artificio cooperabatur duobus quæ confecta apud Indos extabant dolia, de quibus narrat Philostratus, quorum si unum aperiretur, pluebat: si alterum, venti perflabant. Sed *non potest* per motum localem, uti docet S. Th. de potentia q. 16. a. 8. & 3. contra Gentes cap. 107. destruere, aut subvertere *Universum*. Tum quia est pars illius; pars autem in totum non habet vires: tum quia, ut Hebr. 2. dicitur: *Non subjecit DEUS Angelis orbem terræ.* Nec potest *ordinem* ejus invertere neque præcipuas illius partes perturbare, aut suis locis commovere, uti nec sistere motum cœli, aut in contrarium agere; nec elementum in alium locum

locum transferre, nec efficere vacuum, siquidem conservatio universi in cohæsione partium consistit. *Nec possunt* intelligentiæ corpus in instanti *transferre*, tum ob limitationem virium: tum quia motus localis instantaneus non datur. Nec corpora *replicare*, aut *efficere penetrationem* nec *in distans agere*, cùm juxta cursum naturæ movens & mobile debeant esse simul, quanquàm aliàs absolutè implicare hanc actionem judicavimus ut impossibilem: nec transportare possunt de extremo ad extremum *non transito medio*. Quia talis motus absque rei annihilatione & reproductione imperceptibilis. *Nequeunt* etiam sine interventu agentium naturalium producere ullam substantiam corpoream. *Circa corpora* verò inanima, omnia *possunt* præstare quæ *motu locali*, aut admotione agentium naturalium præstari possunt. Hoc modo apud Cicer. 1. de divin. cotem novacula secuit Nævius, quia ipsa intelligentia vel cotem aliquo artifici emollivit vel ferrum induravit, vel utrumque præstitit. Echo quia motum localem consequitur uti & sonus possunt excitari à spiritibus & ita teste Cyrillo 3. ad Julian. Pythagoram Causus fluvius salutavit. Possunt *ventos cohibere*, quod refert Justin. q. 24. ad orthodox. factum ab Apollonio Thyanæo factum etiam ab Empedocle refert Clem. Alex. Strom. l. 6. c. 1. Et hoc modo sedabant tempestates maris oblatis primitijs, de quo Simplic. in Enchrid. Epict. cap. 38. Possunt efficere ne quis inter medios imbres madeat, avertendo scilicet ab illo guttas, vel eum aliquo cor-

pore circumponendo. Et ita statuam Dianæ Cyndiadis, & statuam Vestæ apud Jassæos à madore præservabant, uti est apud Polyb. lib. 16. c. 4. Possunt *aurum* facere quia hoc fecerunt quidam Chymici, sed suprema vetat Providentia ne tam sacrâ fame plures mortalium trahant in perversum idcircò Grillandus lib. de Sortileg. c. 3. n. 9. observat, nunquam auditum aut conspectum quemquam servientium dæmoni factum fuisse locupletem, eadem Providentia vetat, ne sigilla, aut characteres imitentur. Possunt *qualitates* venenatas spargere ita Tartari nebulas, tenebras, & alias pestes inducunt, & hoc dolo circumventi Poloni cladem illam celeberrimam passi, quando novem saccos auribus impleverunt. Possunt *aerem turbare*, sic earum operâ Lapitæ & Finni ventos vendunt, & Rex Sueciæ Ericus in eam partem vertebat ventum, in quam pileum; Ita Romæ teste Festo lapis in Urbem pertrahebatur, cum egebant pluvijs, & ob id dicebatur, *Petra manalis*. Non possūt *ex quolibet* facere *quidlibet* nec per *quodvis* instrumentum *quidvis* efficere, aut per *quamvis* medicinam *quemvis* sanare morbum; nec rem quamvis immediatè in aliam transmutare, nec animalia perfecta sine semine producere; neque eadem subitò imperfecta virtute & magnitudine deducere, quia nullum horum virtus naturalis attingit, neque possunt naturalem ordinem invertere, priùs v. g. ponendo formam, postea dispositiones *neque mortuos resuscitare*, cùm animæ illarum dispositioni non subjaceant, neque possunt impedire ne agens naturale omnibus ad agen-

agendum requisitis instructum non agat, saltem ut plurimùm. Neque *miracula* præstare possunt vera; alioqui hæc non essent idonea declarandæ Deitatis atque veritatis argumenta, & ratio fidei Christianæ, quæ miraculis innixa est, periclitaretur sed multa per præstigias imitari possunt, ut eundem quasi replicatum, locis duobus exhibere, uti exhibuerunt Pythagoram apud Originem l. 6. contra Celsum, qui fugiens hostes se in arca reclusit, quàm cùm illi irruentes reclusissent, nihil omninò repererunt. Hoc dolo jactabat apud S. Clementem Roman. 2. Recogn. Simon Magus posse se in instanti montes lapideos instar lupi penetrare. Ita & Phylumene, teste S. August. hæres. 24. in angustissimi oris phialam vitream panem grandem injiciebat: erat enim venefica sciens oculis adstantium illudere. Fabula verò omninò est sagas per angustissimas traduci rimas: reserat Intelligentia quantum opus, aut aliâ circumfert viâ, & postea foramen velocissimè concludit, ita ut Saga se hic videat, quomodo autem huc venerit penitùs ignoret.

XV. *De Connexione Intelligentiarum cum rebus Materialibus.*

SIve ut suo flagrante divinitatis appetitui blandiantur per hostias sibi sacras malæ intelligentiæ: sive ut ad eas miseros disponant mortales, simulant se quibusdam rebus corporeis oblectari, alias odisse. Ita sale se oblectari, unde Plinius lib. 13. cap. 1. scri-

1. scripsit. Nulla sacrificia fieri sine *sale*. Sed fortè hoc agebant, ut tantò magis mysteriosa Dei veri æmularentur sacra, in quibus ex præcepto, Levit. 2. sal adhibebatur. Inde Plato dialogo de natura *Sal Deo amicum corpus*. E contra mel & fermentum repudiabant, quia etiam ista à veri Dei altaribus removebantur. Pari vanitate *affectant odores* cùm non sint corporeæ. Neque S. August. 8 Civit. cap. 15 sensit corporeos, sed argumentatus est, dato etsi essent corporum meliorum quàm nostra, non ideò nobis esse meliores. Idcircò qui putant has Intelligentias malis odoribus, aut suffitu hypericonis, qui ideò fuga vocatur dæmonum, pelli: malæ earum intentioni superstitiosè collaborant. Potest tamen prima causa alicui suffitui vires extraordinarias tribuere, ut dæmoni molestiam inferat, eumque fuget, ut indidit jecori piscis quod Tobias adhibuit. Possunt etiam aliqui suffitus pellere morbos certos qui vanâ persuasione creduntur dæmonis esse agitationes, ita caprini cornu & gagatis suffitu, aut alicujus fimi, latens epilepsia excitatur, rutam & hypericonem in dicto symptomate utilem esse, certissimum est. Ita subinde contingit aliquos ad exorcistam deferri qui medico egent, & è contra.

XVI. De Viribus Intelligentiarum circa actiones vegetativas Animalium & circa mortem.

Nutritionem *acretionem generationem* formaliter sumptas *non potest* Intelligentia supplere. Imò

Theodoretus, Chrysost. Cæsar. damnant affirmativam. Quia hi actus sunt vitales, & à principio intrinseco per potentiam internam operante procedunt. *Insecta* tamen uti Muscas & ejusmodi, quod *possit* intelligentia activa passivis applicando, producere, decrevit jam olim S. Aug. lib. 3 de Civit. cap. 6. Quid id ipsum & homines in Magia naturali versati præstare possunt. *Assumpto* autem vero animalis semine eoque bene conservato, ac in debitum locum transmisso, qui negant posse ab Intelligentijs produci *quodlibet vivens* hos damnant impudentiæ idem S. Doctor lib. 15. Civ. 23. Hoc modo genitum Homerum multi scribunt, itemque Lutherum: imò totam Hunnorum gentem testatur Jornandes in Historia Gothica. *Actus vitales impediri* ab Intelligentijs vitæ vegetativæ, maximè propagationem, testantur experientiæ. Possunt etiam vim caloris in animali inhibere, ut ad longum tempus *omnis cibi expers* vitam producat. Idque vel temperando calorem internum, vel applicando frigida, vel humores viscidos è toto corpore in stomachum colligendo, ut calori fiant pabulum: quâ ratione glires brumalem inediam superant teste Philosopho lib. 8. historiar. c. 14. & 17. Sæpius tamen animali cibos quospiam subtiles excellentis substantiæ immittunt, ita sentit S. Prosper. lib. de dimid. temp. cap. 2. *Possunt mortem animalis differre* habent enim quædam animalia renovandæ ætatis donatas à natura artes. Sic teste Philosopho 8. hist. cap. 17. serpens exuit senectam. Et de admir. aud. cap. 65. Felis rejuvenescit & Aquila

senex

ſenex. Tertullianus de ſenio cervi, lib. de Pallio cap. 3. ita loquitur. *Arbiter ſuæ ætatis ſerpente paſtus veneno langueſcit in juventutem.* Has artes Intelligentiæ cur æmulari non poſſint? Poſſunt enim per artem humores noxij educi ex animali: poſſunt activa inſignia adhiberi. Præſtat hos effectus ars Medica in pueris aridis, dum eos bonæ reſtituit temperiei. Quidni eandem poſſit inducere temperiem Intelligentia, dummodo non impediatur? Sed *verè mortuum* animal *vitæ reſtituere non poteſt.* In brutis enim periit anima, neque rurſus eadem quibuſcunque poſitis diſpoſitionibus, regreditur: idcircò ſi opera Magorum bruta revixerunt, fuerunt ſolùm mortificata ita & Muſca, aut non verè fuit mortua, aut non eadem gaudet anima poſtquam revixit. Sic mortuæ itemque vivæ apes quæ rutæ ſucco perfuſæ vitam repetunt: & quidem muſcas in cineribus vel creta ſepelire ſufficit. Anguilla ſi defectu aquæ mortua fuerit, integra aceto injiciatur, ac ſanguine vulturis adjecto ſub fimo recondatur, intra paucos dies vitam recuperabit. Plura in hanc materiam dedimus in Meteorologia curioſa. Cadaver hominis aliquando ingreſſus pro anima genius perverſus, ut eum oſtenderet vivum ut notavit Anaſtaſius quæſt. 23. in ſcript. ſed illi vitam reddere nunquam potuit. Tales ſtrophas patrârunt etiam Hæretici. Ut quidam Arianorum Epiſcopus, qui pretio perſvaſit mendico ut ſimularet cæcitatem, à qua eum deinde precibus eriperet de quo Greg. Turonen. lib. 2. hiſt. cap. 29. Tali Cracoviæ prodigio Præco Calviniſticus volebat

ſimula-

ſimulatum mortuum vitæ reddere, de quo Alanus Copus dialog. 6. cap. 29. ſed Deus utriuſque nequitiam confutavit: Et hunc oſtentantem ſpeciem mortis, verâ morte: & illum fingentem tenebras, verâ cæcitate multavit. *Tu ne lude Deum!* Tales jam olim thaumaturgos hæreticorum riſit Tertull. de præſcript. cap. 30. *Apoſtolorum in perverſum æmulatores: Apoſtoli de mortuis faciebant vivos. Iſti de vivis faciunt mortuos.* Sed notabile quoddam obſervat Cæſarius Herbeſt. in ſua hiſt. Dæmones dum corpora aſſumunt, terga ſemper avertere, eò quòd illa parte deficiant corpora.

XVII. *De Viribus Intelligentiarum circa morbos & ſanationem.*

VEterum nonnulli crediderunt omnes morbos opera dæmonum fieri, ſed contra eos libro de morbo ſacro diſputat Hippocr. ac potiſſimùm contra eos qui epilepſiam ad dæmonem referebant & expiationibus curari volebant, talesque Medicos, Magos atque Expiatores appellat, imò Circulatores, qui magnam pietatem ſimulent, atque præ aliis aliquid ampliùs ſe ſcire. Sed ut multi *à natura morbi*, ita nonnulli ab *Intelligentijs* excitantur. Agitabatur quidam Lucæ 8. ſpecie maniæ, quæ dicitur Lycantrophia, ut patet ex accidentibus, domi enim contineri non poterat, vagabatur circa ſepulchra ſimiliter infectus erat epilepſiæ ſpecie Marci 9. nam eliſus in terram volutabatur ſpumans. Taliter affecti exorciſmo cauſas mali remotas

motas amoveant. Dæmon enim morbos qui pendent ex materia non aliter infert quàm aliæ causæ procatarcticæ: scilicet melancholiam agendo, & quæ inerat commovendo, deferendoque in cerebrum, & interna sensoria vaporibus nigris imbuendo. Augere verò Melancholiam potest vel detinendo ne expurgetur, vel aliquas exurgentes causas admovendo bili, *Epilepsiam* verò *Appoplexiam*, *paralysim*, aut *Catochum*, deferendo crassos succos, & per eos cerebri ventriculos, aut ipsas nervorum radices obstruendo. *Cæcitatem* aut *surditatem* creabit Intelligentia, si excrementa in oculos, vel aures coacervet: quanquam hæc duo mala immediatè per sese facere potest, nervos scilicet auditorios, aut opticos comprimendo. Vel certè pro cæcitate, oculi humores agitando: pro surditate, continendo aërem ingenitum in aure ne possit moveri: quapropter ad tollendum ea quæ dæmon per se facit, opus exorcismis: ad ea verò quæ per causas naturales, medicinalibus opus auxilijs. Proinde neque semper satis est fugâsse dæmonem, neque è contra. Exemplum verò *medelæ* apud Tacitum *morbi* aliunde exorti dedit per Vespasianum Intelligentia lib. 4. hist. qui salivâ sanavit cæcum. Sed aderat curationi insignis Magus Appollonius Thyanæus uti advertit Baron. an. 71. & ipse Tacitus fatetur illum morbum non excessisse vires artis. Adrianus etiam Imperator cæcum illustravit, sed eum qui simulaverat noctem, ut Cæsarem vanissimâ adulatione à proposito vitæ abjiciendæ averteret, inquit Spartianus. Solertissimè

fimè tamen annotat Tatianus orat. contra Græcos num. 27. Agere dæmones ut latrones, qui capiunt aliquos, ut oblato pretio dimittant; invadunt priùs tyrannicè miserum, ut abscedendo, gratiam videantur exhibuisse: turbant humores faciuntque ægrum, ut deinde à nequitia desistendo, beneficium se contulisse jactent, ac credantur. Duo præterea pulcherrimè antiquissimus Patrum Irenæus lib. 2. adu. hæret. advertit. unum cap. 56. Quòd ubi agitur de confirmatione alicujus veritatis ex parte DEI per prodigium: compescantur malæ Intelligentiæ, ne populus errorem sequatur alterum, quòd sanitas ope perduellium spirituum obtenta, præterquam quòd cum ingenti scelere parata fuerit, rursus cum magno auctorio morborum abire soleat. Idipsum multoties expertus Fernel. lib. 2. de abdit. caus rerum cap. 16. *Non potest* Intelligentia *hominem* verè *mutare in bestiam* ita sensit S. Augu$t. 18. de Civit. cap. 18. decitumque est in Concilio Ancyrano cap. *Episcopi* 27. q. 5. Fabulæ itaque sunt de transformatione Apuleij, de Circe, & quæ de Metamorphosi hominum in lupos circumferuntur. *Lycanthropbia* morbus est, non transfiguratio: membra relinquit, sed vitiatione atræ bilis ingenerat affectus lupinos atque odium in oves; ut illas morbo ejusmodi correptus invadat: ita illi qui ursi cerebrum devorârunt se ursos arbitrantur, ac sylvas petunt, omniaque in morem bestiæ agunt, vidimus, cui Amasia pro philtro propinaverit cerebrum cati, turbatâ mente mores omninò catinos cum rabie induisse. Potest nihilominùs

D

minùs poſtquam homo lupino illo correptus eſt morbo, per intelligentiæ operam exterior lupi circumponi ſpecies, ubi corpore lupi ex aëre formato hominis membra induerit. Sæpius tamen intelligentia depoſito ac ſopito alicubi Lycanthropo, ipſa in ejus imagine diſcurrit: aut verum lupum ingreſſa populatur ovilia, ſi interim vulnus huic ſpeciei inferatur, permiſſu providentiæ ſupremæ hominem ſopitum vulnerat adjecto ſomnio in quo illi acta ſub ejus imagine repræſentat. Rei iſtius adducit exempla Guilielm. Pariſienſis 3. 2. de Univerſ. cap. 13. & Nieremberg. in Nabuchodonoſore.

XVIII. *De Viribus Intelligentiæ circa ſenſus animalium.*

POſſunt Intelligentiæ *deludere* ſenſus externos: idq; vel *indirectè* perturbando phantaſiam: tum enim perſvadet ſibi homo verè ea præ oculis aut alio ſenſu verſari, quæ ſolam fatigant imaginationem: tali ludibrio febrientes & amentes miſerè exercentur, tunc verò non ſunt omninò in vigilia, ut advertit Angel. Doctor lib. 3. contra Gentes cap. 104. ſed quaſi in extaſi quadam aut ſopore. *Directè* etiam *ſenſus illudi* poteſt, idque *modo triplici*, qui colligitur ex Juſtino ad q. 80. & Gabr. in 2. d. 6. q. 2. a. 3. *Primus* eſt modus, quando mutatur objectum quod fit celerrima agitatione, vel uno occultato alterius ſubſtitutione. Atque ita prodigium de Socijs Diomedis, qui putabantur tranſijſſe in

aves,

aves, explicat S. Augult. lib. 18. de Civit. cap. 8. pro quibus aliò velocissimè translatis supposuit aves Intelligentia. Simile contigit ludibrium, quando Iphigenia credita est in cervam mutata. Tali arte Circulatores spectantium oculos in admirationem rapiunt, dum comedunt panem, simulant se remetiri farinam: bibendo aquam, per fictum vulnus frontis reddunt vinum: hoc modo gladios vorant, pocula poculis trajiciunt, acus evomunt &c. Ad hanc classem possunt reduci illæ Magorum technæ, per quas Persis imponebant, cùm scilicet ignem facerent loqui: at tubus erat occultè per focum ductus, per quem aliquis in latebris constitutus fundebat vocem quàm fraudem detexit Maruthas, ut est apud Socratem lib. 7. c. 8. Tali fraude in victimam apud Græcos cœlitus illabebatur ignis quasi invisibiliter: tubi autem erant infernè ducti per quos ignis immittebatur, uti monstravit Oris aurei Doctor homil. de Petro & Elia. *Alter modus* est, quando medium mutatur, tali arte convivium instituit Albertus, quo Guillel. Imperat. excepit. Mutilati in eo membris conspiciebantur convivæ, teste Bzovio anno 1248. n. 2. si credere fas est. Hoc modo visendos colore mortuali hospites reddebat Anaxilaus, sulphure nimirum inflammato aërem inficiendo per quem visus noster in objecta fertur, ut est apud Nilum cap. 100 & 101. de Orat. Hoc modo Marcus hæresi & magia infamis apud Iræneum lib. 1. cap 7. in album purpureum, & cæruleum, objecta tingebat. *Tertius* est, si Intelligentia turbet a-

nimalis potentiam, variet aut transponat organa, aut quapiam qualitate imbuat. Hoc modo omnes reddet cibos amaros, si lingvam amarore tinxerit. Si corneam in oculo viridem fecerit, omnia viridia animali spectabuntur, &c. *Potest* etiam Intelligentia *reddere objectum invisibile*, vel localiter subtrahendo ab oculis, uti Lactantio teste lib. 5. c. 3. Apollonius redditus invisibilis, effugit Domitianum à quo tenebatur & Puteolis expectatus sociorum se improviso dedit conspectui. Quo etiam modo apud Cæsaream victima Dijs sacra, conspectui eripiebatur, & Gentiles eam in cœlos asportatam mirabantur, donec Asterij precibus impostura concideret, ut est apud Eusebium lib. 7. histor. cap. 13. Hoc etiam dolo Colophone hausto fonte Sacrificus conspectui sese eripiebat, de quo Jambl. de myst. paragr. 25. Hoc modo Gygis annulus faciebat invisibiles de quo Plato l. 2. de Republ. nisi malis cum S. Ambrosio lib. 3. de Officijs c. 5. eum credere fabulam. Sed & alio modo potest objectum visui nostro subduci opera Intelligentiæ. Ponendo nimirum corpus aliquod intermedium inter illud & visum nostrum: vel lucem omninò ab objecto excludendo. Ut verò *species visivas* destruat ac compescat, fieri non potest, cùm teste S. Thoma lib. 3. contra Gentes c. 104. Virtus ea nulli agenti secundo competat. Unde non habet fidem, quod continetur in adscripto Alberto M. opusculo gemmam heliotropiam si cognomine herba perfricetur, efficere ne videaris. *Avertere*, etiam cum interruptione *species* alio non est

virium

rium intelligentiæ, cui non relictum movere accidens subjecto, nisi fortè per aliquod corpus oppositum eas reflexerint. Facilius ab intelligentia *potest odoratus deludi*. Sic quidam in Sentina pernoctans, de quo Guillel. Parisien. 3.2. de Univ. c. 23. videbatur sibi in cella aromatica noctem voluptuosè peragere. Fieri autem hoc potest, vel si Intelligentia aliunde aromata, aut olea odorata advexerit, sensorioq; admoverit: *vel* si ipsum olfactûs organum alteraverit. Non tamen semper debent haberi pro suspectis antra si quæpiam gratum efflent odorem. Natura id dedit Argentifodinis in tractu Mariæburgensi in Saxonia, uti refert Agric. in Berc. dial: Olfecimus & lapidem allatum ex Silesia, violam ille reddebat. Habebatur alibi gemma quæ rosam halabat. *Gustum* ab Intelligentia *deludi* exempla docent. Factitabat non raró ejusmodi convivia Romanus Numa teste Plutarcho, sed in quibus imaginatio meliùs habuit quàm gula, vel enim soli imaginationi fuit illusum, vel etiam organum aliquo sapore delibutum: & tum majorem à mensa referebant famem quàm attulissent, quia in modum somniantium comederant. *Tactus* etiam circa vehemens sensibile potest impediri ab intelligentia, ita docent S. Thomas q. 6. de potentia a. 3. Potest enim interponere aliquod corpus inter pedem v. g. Magi inambulantis supra carbones, & ita præservare ab adustione, quod ipsum eveniebat illis qui afflabantur Deæ Furoniæ Numine, apud Strab. 5. Geogr. & cuidam sacrifico uti scribit Jambl. paragr. 24. sed sæpiùs capit spectatorum

oculos Intelligentia, ut videantur sibi videre quòd Magus per flammas incedat, cùm per vicina periculi vacua inambulet. Subinde etiam Magus asportatur aliò donec incendium fuerit absolutum, & tum demum restituitur indemnis. Tali modo Lituus, insigne auguratûs apud Romanos, teste Cicer. 1. de divin. (bacillus is erat in modum litui inflexus) exustâ Saliorum curiâ mansit integer: ut hoc dolo auguratui authoritas accederet. Inveniri etiam dicuntur succi, quibus imbuta manus impunè flammis illudere. Vidit Busquequius Turcam, qui succo quopiam palatum armabat, per quod deinde ferrum candens pro libitu trahebat. Alium vidit Cardanus, qui manus & faciem plumbo liquido lavabat, sed fortè non igni, ast Mercurio solutum fuit plumbum: crucibulo interim in quo solvebatur mortuis carbonibus, causa delusionis applicato. De succis verò dicimus, quod vel membra stupefaciant, vel crustam valdè frigidam inducunt corpori: tali succo adjutum Simonem Magum refert Anastas. q. 23. se inter flammas volutâsse. Sunt quidam in Gallia, & fortè alibi, qui se jactant de familia S. Catharinæ, & rotam à natura corpori impressam ostentant, (ab arte inscriptam Vairus deprehendit) tales ignem impune tractant, & flammas illæsi ingrediuntur. Alij qui dicunt se de genere S. Pauli, viperam in corpore formatam ostentant & dicuntur non solùm securè serpentib⁹ colludere: sed imò si quem hæc insecta arroserint, contactu persanare. Unum ex illis se vidisse meminit Ananias lib. 4. de nat. Dæmonum cap. 15. eumque

umque virum bonum ac minimè Cacomagiæ ſuſpectum. Quiq; ſolo ſputo ſanabat à colubro ictos. In his indemnitas vel opera Intelligentiæ contingit, vel ſi quid ſanius de illis tenendum evidens ratio comprobârit, gratiam gratis datam ſentiemus. *Senſum internum poteſt* Intelligentia *turbare*, poteſt etiam animalis confundere ac turbare humores, ut in Phreneticis ac Maniacis facit morbus, poteſt affundere qui hanc vel illam ſpeciem excitent. Poteſt gravia ne mergantur in aquis detinere.

XIX. De Viribus Intelligentiarum quoad riſum & voces.

Poteſt Intelligentia riſum *imitari* hominis ac cachinum tollere. Exemplum Author de admir. auſcult. apud Ariſtot. cap. 96. affert: ſcribit enim audiri noctibus, riſum cum tympanorum ac cymbalorum ſonitu apud quoddam in Lipara inſula ſepulchrum: Huc etiam ſpectat quod refert Suetonius, nimirum Jovis ſtatuam ingentem extuliſſe cachinnum, cùm Romam aliunde juſſu Caligulæ transferenda eſſet. Talia ludibria quia ſæpiùs obſervata etiam nomen proprium invenêre apud Caſſianum *Joculatorum*. *Voces* animalium quaſcunq; ab Intelligentia effingi, æquè indubitatum, ſic ut S. Senem Antonium vexaret jam balabat, jam crocitabat, grunniebat, boabat, rugiebat, clangebat, & in omnes agebatur beſtias. Hoc verò fit ſi *vel* aërem ad eum modum fregerit, quo ipſum brutum *vel* ſi bruta incoluerit, & illis ſe tantùm paſſivè habentibus

bentib9 organa eorum in voces proprias aut alienas coëgerit. His vaframentis quondam Taurus humanâ voce Jovem testatus. Ulmus voce muliebri affata Apollonium: Quercus Dodoneæ nostra dederunt verba: cadavera plusquam semiputria articulatè personuerunt. Mirùm hic observat Guilielm. Parisiens. 2 2. de universo cap. I 5 I. de Energumenis quod dum suaptè movent organa, nitidiores edunt voces, impulsu inquilini, raucas: ut per hoc quis loquetur dignosci possit. Quod credo si ita est, non provenire ex eo, quasi Intelligentia ex arte nesciat movere lingvam: sed altiori aliquo consilio: obscuritate enim nescio quare delectatur ille spiritus, & ut Remigius lib. dæmonolog. cap. 8. ex Sagorum confessionibus didicit: dum Sagas alloquitur, ita format voces, atque ille qui dum loquitur, tunnæ aut vasi testaceo caput imposuit, & tali voce scribit Crinitus lib. 7. de honesta discipl. despondisse illos Genios, dum requirerentur ab Hermolao Barbaro, & Georgio Placentino, quid nomine *Entelexias* Aristoteles frequentissimè in suis operibus relicto, intellexit. Si etiam contingat ut nomen suum desertor spiritus subscribat, id ita facit, ut à nemine possit relegi, quod cùm aliàs tum in Energumenæ anni I 667. per S. Franciscum Xaverium liberatæ actis legimus. Sed quoniam nominum fecimus mentionem trium tantùm ex SS. Intelligentijs nomina certò habemus in sacra Scriptura: plura verò deteriorum spirituum. Et videntur pleraque designare gratias in creatione illis collatas: quæ tamen non facilè

facilè promunt, sed ludicra illis substituunt, præcipuè hâc de causa, quia vehementer confunduntur quoties meminerunt dignitatis ex qua exciderunt. Tornaci, ut scribit Hadrianus Lyræus in Trysagio lib. 1. sono 5. coacti edicere ex obsesso protulerunt quinquaginta lingvâ Hebræâ. Ex his quatuor ad Seraphinos spectare videbantur. Tria ad Thronos. Tria ad Dominationes. Tria ad Cherubinos, & hi quidem erant in prima classe. Nam in sex Classes partiebantur. Secunda Classis erat nominum respicientium mysterium SS. Trinitatis. Tertia repræsentans processiones Personarum. Quarta relationem DEI ad creaturas designans. Quinta relationem creaturarum ad DEum. Sexta mysterium SS. Eucharistiæ attingebat. Denique Intelligentia *Somnum* longissimum potest Animali inducere: potest enim plurimos vaporosos advocare humores, & ijs sensorium primum ligare. Hoc enim modo glires absque prodigio tota hyeme unum producunt somnum. Hoc modo quidam toto septennio produxit quietem, de quo Bzovius anno 1376. n. 23. Potest contrario artificio longam procurare vigiliam: nam hoc vires naturæ non superat, effecit hoc insania in quodam, de quo Fernel. l. 5. Patholog. cap. 2. qui totos quatuordecem menses duxit insomnes.

XX. *De Viribus Intelligentiarum in Animam rationalem.*

Q*uamdiu* Anima nostra manet *corpori implicita* ea omnia

omnia poteſt in illam Intelligentia, quæ ex corporis affectione, & externis pendent impresſionibus. Unde poteſt in homine cogitationes, non quidem immediatè (hoc enim PP. vocant illabi in animam, ac ſoli Spiritui S. attribuunt) ſed moto interno ſenſu, quem intellectus quoad ſimplicem apprehenſionem conſequitur, movere. Hæc fuit veterum Aſcetarum opinio, quam refert Marcus Eremita tract. de Baptiſmo poſt med. Poteſt eodem modo indirectè *in voluntate* varios indeliberatos excitare motus, ut odij, amoris &c. Ita Pſellus, Suidas, Gregoras, & hanc ſpeciem quando fit ex inſtinctu Magi, Philo libro de ſpecialibus legibus, vocat Pharmaciam; tale quid in vitis SS. legimus, de Cypriano adhuc Mago, qui per Intelligentias conabatur S. Juſtinam paulò poſt futuram Com. Martyrem, ad impurum deducere affectum, ſimile quid contigiſſe refert, circa Baſilium Magnum Gregorius l. 1. dial. c. 4. Ex doctrina ſiquidem Ariſtotelis initio phyſiogn. Gale. Seneca lib. 2. de ira cap. 18. Animi mores temperamentum corporis (etſi non omninò nec neceſſariò) ſequuntur. Facilè autē eſt Intelligentiæ corporis temperiem immutare, illudque alterare, incendere &c. Poteſt etiam aliqua Phyſica agentia admovere. Verùm *ubi anima à corpore abſolvitur* nihil in illam Intelligentia viribus agit ſuis, niſi fortè objectum proponendo perſuadendo, rationibus urgendo. *Futura* hominem præſentire facit vel facta Intelligentia ipſa aſpectabilis, atque ita per ſonos edocens, vel ſolis in aere formatis vocibus, vel datā ſcriptione, vel dormien-

dormienti somnia formando, vel vigilanti phantasmata excitando. *Nemini habitus* quospiam aut *scientias* infundere potest, nullas enim formas etiam accidentales producit. *Potest* tamen Hominis *memoriam juvare* noxios humores abducendo & excitando phantasmata quæ novit ad certæ rei reminiscentiam conducere, quod tamen ut loquamur verbis S. August. Serm. 18. in Psal. 118. non *est intellectare hominem*. Quodsi aliquando malæ intelligentiæ operâ videantur Idiotæ ad errorem nimiùm sapere, proilloque fortiter disputare, tum ut docet idem S. Pater 10. de Civit. cap. 9. solùm phantasiam turbat facitque ut homo proferat quæ ipse non intelligit. Sæpè etiam per os illorum loquitur ut contingit in ijs qui Anabaptistis dedere per Apostasiam nomen. Hi enim in fide rectâ illiterati ac rudes, mox ubi poculum aut panem sectæ execrabilem degustârunt evadunt versatissimi in scriptura ac Theologia: sed mox ubi ad sanam mentem fidemque redierint, omnis illius subitaneæ eruditionis expertes fiunt. Recitat exempla Lindanus, Thyræus, & Surius in vita S. Norberti. Hinc meritò nonnulli cum Hæreticis acturi sacro prius exorcismo Spiritum nequam vinciunt prohibentque ne Hæretico suggerat: *Potest* etiam *per modum assistentis instruere* intelligentia. Taliter agebat Dæmon Socratis de quo Plato in Theage ferè in fine. Et sic ibi gloriatur Socrates. *Adest mihi divinâ quâdam sorte dæmonium, quod me à pueritia est secutum, quæ vox quædam est dissuadens, quid sim facturus: ad faciendum verò provocat nunquam. Quod si quis interdum*

terdum amicorum sua consilia mecum communicet, defertur illa vox dissuadens, & me exequi non permittens. Idcircò putabat bonum fuisse inferre sibi mortem, quia nimirùm dæmon illi consilio non intercesserat, ut ipsemet ait in Apol. apud. Plat. Intelligentia hæc fuit damnata ex mente Tertull. Apolog. c. 22. S. August. 8. de Civit. c. 14. S. Cypr. lib. Quod non sint Dij n. 52. Ex Socratis Schola prodijt Plato qui & ipse discipulos dæmonum familiaritati maximè assuefaciebat, ut notavit Carpent. digress. 4. in Alcinoum. *Voluntatem hominis* non potest Intelligentia *cogere* sed solùm suadere, ac blandâ propositione objecti pellicere.

XXI. *De primæ Intelligentiæ Existentia, seu de DEO.*

RECtè dixit Tullius in 2. de Nat. DEorum. *Quid potest esse tam apertum, tamq; perspicuum cùm coelum suspexerimus, coelestiaq; contemplati simus, quàm aliquod Numen esse præstantissimæ mentis quo hæc regantur.* Quis enim Æneida Virgilij aut Historiam Livij casu factam, aut veluti fungum nescio quomodo terrâ extrusum, crediderit; quis reperto medijs sylvis augusto peristromatis, horologijs, mensis, imaginibus, sigillis constructissimo palatio, fortuito montis lapsu, aut arenularum turbulento confluxu assurrexisse sibi persuaserit, & non potiùs artificem statim considerabit? etsi quis ille gēte? quâ facie? moribus? prole foecundus an orbus ignorare possit. Ita planè, etsi in Trinitatis notitiam & alia attributa non clarè devenerint Gen-

tes,

res, nemo tamen qui non persuaserit sibi esse DEum unquam extitit. Persvasit Aristoteles illo argum. In æternis idem est possibile ac necessarium. Proinde si DEum possibile est esse, cur enim non sit possibile? Et DEus necessariò existit. Item si ex nihilo aliquid fit. Datur DEus, ex nihilo enim creare infinitæ est potentiæ. Potentia verò infinita non nisi unica esse potest: Alius sic, argumentatus. Non implicat ens necessariò existens; itaque de facto existit. Alius sic, tota collectio Entium possibilium vel dependet ab alio vel non si ita? datur DEus si non? ergo est ens à se sed ut DEum agnoscit ita in discursu errat, cùm enim possibilia sint infinita non possunt dici omnia, alioqui infinito termini apponerentur. De futuris & possibilibus meliùs argumentatio procedit, sed apud eum nihil probaret, qui mundum ab æterno somniaret. Denique tum notum est Deum esse, ut dixerit Tullius Tuscul. *Nulla est tam fera tam inhumana natio cujus mentem non imbuerit Deorum colendorum religio.* Quod Seneca epist. 17. magis deducens ait. *Veritatis argumentum est omnibus aliquid videri, velut DEus esse, quòd omnibus de Dijs opinio insita sit, nec ulla Gens usquam est adeò extra leges moresq; posita, ut non aliquos Deos credat.* Idcircò & apud Gentiles execrandi fuerunt Athei, & illi erant qui etiam in alijs rebus lumen rationis extingvere laborabant, licet omninò extingvere non potuerint. Talis fuit Theodorus Cyrenaicus de quo Laertius in Aristippo, sed idem sacrilegium adulteriumque posse cōmitti, & alia hic fœdiora docuit, talis Diagoras de

quo

quo Plutar. de placitis cap. 7. & Cicer. 1. de nat. Ad quorum classem Lesſius capite 2. de Provident. Machiavellum cum toto ſuorum grege reducit: & id meritò fieri à Lesſio cenſet Raynaudus Theol. nat. diſt. 5. 161. Quis verò gradus ad Atheiſmum? bene hujus peritus Atheiſta quidam Lutetijs exuſtus apud Maldonatum in cap. 26. Matth. ad ver. 26. docuit. *Oportere prius Calviniſtam eſſe qui vellet Atheus fieri.* Cujus rationem dat apud Duræum Metenſis. Quia potiùs nullus Deus admittendus, quàm qui ſit author mali, *& inter ſceleratos* ut Calvinus de Deo ſenſit *clavum teneat.* Sed S. Auguſt. in Pſ. 80. demonſtrat quòd reipſa omnes Hæretici ſint Athei, & Clemens Alex. dicit lib. 7. Strom. cap. 9. *Hæreſes aſſveſcere eum qui non eſt noſſe Deum.* Sed omnibus occlamat conſcientia illud Ariſtot. ubi reperitur participatio unius ſecundùm magis & minus in diverſis, neceſſe eſt deveniri ad primum in quo ipſum eſt primum. Occinit & illud. Si non eſt Deus, quis docet bruta tam uniformiter & artificiosè operari? cur nobis inditur appetitus Deum cognoſcendi? cur ſi apprehendimus Deum id eſſe quo nihil melius excogitari poteſt uti illum deſcribit S. Anſel. cap. 2. Proſol. non ille exiſtit? nam, non exiſtente melior cogitari poſſet exiſtens. Reprehendit & ipſe Apollo Colophenſis apud Lactant: lib. de Falſa Relig. cap. 7. Dari Deum qui ex ſe cognomen habeat, à nemine ſit eruditus, Matre careat, cujus nomen ſit inexpugnabile, nec verbo capiendum, qui ignem inhabitat.

XXII. De Dei Unitate & Trinitate.

EO pervenerunt aliqui Gentiles ut Deum agnoverint unum imò & in substantijs trinum teste Cyrillo Alexandr. Orat. in Iulian. Plato dixit: *usque ad tres subsistentias divinam substantiam progredi, esse autem summè quidem Deum bonum: post illum autem & aliorum Conditorem, tertium & mundi animam.* Sed vidit ut noctua Solē, & notitiā quam proculdubio de hoc mysterio à Fidelibus habuit, valdè confudit. Aristoteles etiam in Metaphysicis ostendit. Primum Intellectum penitùs esse in actu qui se ipsum intelligit, ex quo delectatio summa. Quod in idem recidet ferè, si ita discurreris. Deus si est, mundus hic ab ipso est. Hic cum operabatur hunc mundum habuit cognitionem quam vocamus verbum. Ab intellectu & verbo procedit quidam motus intellectualis, qui complet operationem, seu volitio, quæ à Deo non recedunt, & sunt ipse Deus. Quod verò *Deus* sit *Creator*, hoc discursu probari potest. Mundus poterat esse aliter quàm de facto est: major, minor, infra, supra, idcirco non est à seipso, nam esset talis qualis poterat esse: itaque est ab alio: & ille à quo est, debet esse ens à se sive DEUS. Qui non poterat non esse, nec major aut minor esse, aut aliter esse. *Plures perfectiones* in hac Vita *de Deo cognoscimus* quam de intelligentia, quia istas ex solo motu cognoscimus, ex quo nonnisi communia prædicata inferre licet. At verò perfectionem Dei ut causæ, ex omnibus ejus affectibus colligimus: circa quod tamen bene advertit Scalig. ex-

erc. 365. Nullis vocibus nos tam planè Deum intelligere quàm illis quæ ignorationem prætendunt nostram uti cum dicimus Immensum, Incomprehensibilem, Immutabilem, Infinitum. Tunc enim ita cognoscimus esse, ut cognoscamus superesse. *Unum Deum* ut dixit Tertullianus Apolog. cap. 16. agnoscunt etiam cultores idolorum cum in angustijs sunt. *Oculos* inquit, *attollunt ad coelum & obliti Deorum Deum naturaliter invocant.* Unum agnovit Plato in Politico. Agnovit Arist. 12. Metaph. tt. ult. *Entia* inquit *nolunt malè gubernari: non est ergo bonum pluralitas principatuum unus ergo Princeps.* Agnovit & Plut. opere de formis Reipubl. Homerus Iliad. 2. Isocr. in Nicocle, Herodot. in Thalia, vide Bellarm. tom. 1 lib. 1. cap. 3. DEI enim natura omnes perfectiones includit, perfectio verò est solum esse tam perfectum, Item si esset alter Deus, & in nullo à nostro Deo differret, esset idem cum nostro: si differret, itaque aliquam perfectionem noster non haberet. Pluralitas verò non potest intelligi sine differentia. *Deus est ens intellectivum*, quia agit propter finem, neque ad hoc ab aliquo determinatur, & ut Philosophus 12. Metaph. tt. 51 arguit. *Si nihil intelligit* sed ita se *habeat ut dormiens quomodo nam præcellens erit?* Et ex eo quod intelligit, honorabilitas illi inest: ut ergò sit optima substantia debet semper intelligere & non esse in potentia ad suam intellectionem. Imò addit amplius si non est sua intellectio Deus, sed est potentia ad intellectionem, rationabile est, laboriosam illi continuationem intelligendi esse.

Deum

Deum in hac vita possumus cognoscere. Quia est ens verum *sed non clarè* quia est objectum quod plurimùm excedit nostrum intellectum. *Si Deus non est nihil est possibile esse.* Vel enim omnia sunt à se, vel ab alio. A se esse non potuerunt quin seipsis fuissent priùs: si ab alio, ille est Deus à quo omnia. *Si Deus non esset nulla causa in mundo agere posset.* Quia causæ secundæ sunt indifferentes ad ponendum hunc vel illum numero effectum, & ad illum ponendum à se determinari non possunt, itaque opus est Deo qui illas determinat. *Si Deus non unus esset mundus stare non posset,* quia malè gubernaretur. 12. Metaph. tt. 12. Entia nolunt malè gubernari, non est bonum pluralitas Principum, unus ergo Princeps. Plures enim si sunt liberi non necessariò in eadem voluntate conveniunt. *Si essent plures Dij nullus esset omnipotens.* Quia vel unus alterius viribus resistere posset: vel si non posset, etiam sic non esset omnipotens. *Si essent plures Dij nihil ab ijs produci posset.* Quia id quod produceretur, vel ab uno solùm penderet vel ab omnibus. Si ab uno, tum destrui non posset ab alijs: itaque nec creari. Si à pluribus, tum unus absque consortio alterius nihil posset producere, dependere enim fundatur in produci. *Deus est in perfectionibus infinitus seu illimitatus.* Si enim in genere entis ad aliquam perfectionem limitaretur, Ita limitatio vel ex entis natura proveniret, vel ab extrinseco contrahente rationem entis ad hanc & non aliam perfectionem: vel à seipso. Sed non ex ratione entis, ens enim ex se illimitatè omnem perfectioné recipit, de omni

enim perfectione prædicatur quidditativè, neque ex se magis limitat se ad unam perfectionem quàm ad aliam. Non ab alio, quia Deus non potest esse ab alio, non à seipso, quia sicut nihil potest producere seipsum, ita nec potest limitare suam essentiam ad certum genus & speciem entis. Hæc enim limitatio fit per productionem. Jam si DEus est ens illimitatum, omnem includit perfectionem sub ratione entis, ac proinde est infinitus. Si enim aliquam non includit, limitatus est, si limitatus, ab alio limitatus est. *Si DEus illimitatus est simplex ens est.* Omnis enim compositio supponit distinctionem partium componentium, distinctio supponit limitationem. Ideò enim aliqua distincta, quia unum limitatum ad unam perfectionem, aliud ad aliam. *Si Deus simplex & illimitatus quodvis ejus prædicatum in suo concepto essentiali omnia alia includit*, ut verum sit dicere, quidquid est in DEO DEus est. Singula enim prædicata in Deo illimitata, ac proinde involvunt omnia alia, & propter simplicitatem non potest accidere compositio in prædicatis. *Si Deus est ens illimitatum existentia illi est de essentia.* Quia omnem perfectionem includit, perfectio verò est existere. *Si illimitatus est, actus purus est.* Omnia enim continet, itaque ad nihil potentiam habet, *Si illimitatus est immutabilis est.* Quia nullam perfectionem acquireret ob cujus mutationem mutaretur. *Si illimitatus est indefectibilis est seu necessariò existit*, siquidem cùm sit independens non habet esse ab alio, sed ex seipso & per suam essentiam est, proinde est indeficienter, essentialia enim tolli à rebus impos-

impossibile est. Sed plura hujusmodi paulò post ex prædicato infinitatis deducemus.

XXIII. De DEI attributis.

DEus *spiritus est*, hoc enim esse nobilius est materiali atque ita debetur Deo. DEUS *est ens simplicissimum* tàm accidentalis quàm substantialis expers compositionis sive tam quoad partes essentiales, quàm quoad integrales. Singula enim horum indignas DEO imperfectiones involvunt. Si enim esset compositus ex materia & Forma, duabus entitatibus constaret, quæ & incompletæ essent, & ex eo primùm imperfectæ & ex eo quia ad se ordinatæ. Ex partibus integralibus adhuc plura sequuntur inconvenientia. Si etiam Deus admitteret accidentia, deberet illis ut formis distinctis substare, quæ illum perficerent adeoque saltem accidentaliter perfectibilis esset: quod insuper arguit in subjecto & limitationem essentiæ, & potentialitatem, & participationem, denique quia nulla potentia passiva potest seipsam reducere ad actum, arguit indigentiam agentis extrinseci adducentis illam formam. Accidens etiam cùm possit adesse & abesse à subjecto arguit manifestè subjecti mutabilitatem. *Neq; componitur* DEus *ex natura & supposito realiter*, quia & hoc potentialitatem, complebilitatemque invehit. *Deus est immensus*, quia agens debet ibi esse, ubi agere debet, aut potest: Deus autem ubique agere potest, & actio in distans implicat. Itaque debet esse ubique & si non esset ubique novo quopiam ente creato ad illud localiter mo-

veri deberet ut illud impleret. *Deus est æternus*. Quia si aliquando cæpit, ab aliquo debuit poni: itaque potius ille alius esset Deus. Nemo enim primum esse dat sibi ipsi. Si non etiam esset in æternum: vel hoc inde eveniret quia defectibilis esset ab intrinseco, vel quia ab aliquo destruibilis: quorum utrumque Deo indignum. Et certè ille qui destruere posset Deum, cùm esset fortior, potius ipse esset Deus. *Deus est liber.* Si enim necessariò ageret, & eodem modo, & omnia quæ potest ageret statim. *Deus est perfectus*, quia omne imperfectum ab aliquo perfectiore procedit, nam à saipso non est, itaque Deus ab aliquo procederet. *Deus est bonus*, quia omnia ex Deo sumunt rationem boni: at verò causa continet perfectiones suorum effectuum. *Deus in cognoscendo est simplex*, neque utitur discursu, in omni siquidem discursu antecedens est causa consequentis: hoc verò in Deo locum non habet, nam scientia Dei est ipsa Dei essentia. Præterea omnis discursus ex notioribus ad ignotiora procedit, itaq; aliqua Deo essent ignota. *Omnia Deus uno verbo eloquitur*, quia verbum idem est cum DEO. DEus verò est unus. *Omnia sunt à Deo*, quia indifferentia sunt ad esse & non esse, quia non semper fuerunt, itaque debent causam habere sui: sed dum in causis proceditur tandem in Deo sistendum est. *Deus est immutabilis*, mutatio enim contingit: vel quia aliquid transit ex non esse ad esse, vel quia transit ex esse ad non esse, vel quia recipit aliquam perfectionem de novo; vel quia suum esse transfert ad locum alium. Horum verò singula aliquod DEI

attri-

attributum perimunt. Nam priora duo tollunt æternitatem, tertium infinitudinem, quarum immensitatem, nullatenùs itaque in Deo reperiri possunt. Idcircò ex mundi creatione, Angelorum, hominumque existentium, pro omni differentia temporis obsequijs, cultu, honoribus, & ex omnium etiam creaturarum possibilium gloria, nihil DEO felicitatis aut gaudij intrinsecè accedere. Et viceversa, si totus mundus periret, & omnes Angeli & homines æternis addicerentur pœnis æquè DEum beatum in se, & in Trium Personarum societate cum omni felicitate permansurum manifestum est. *Neque mutari potest, propter actus liberos* cùm illi identificentur Deo. *Immutabilitas Dei creaturis est incommunicabilis.* Omnis enim creatura dicit se potuisse non esse, & posse non fore, atque ita involvit mutationem, vel de esse ad non esse: vel de non esse ad esse. Unde S. Anselmus in prolologio cap. 22. *Tu solus Domine es quod es, in quo enim aliquid est mutabile non omninò est quod est: & quod habet fuisse quod jam non est, & futurus quod nondum est, id non est propriè & absolutè. Tu verò es quod es, quia quidquid aliquando aut aliquomodo est, hoc totus ac semper es: & tu es qui propriè ac simpliciter es. Sed neq; Deus est in loco*, quia nec est circumscriptivè, nec definitivè cùm hoc dicat terminos, sed repletivè, ita ut sit intra quamvis superficiem neque tamen ab illa contineatur, quod Richardi verba lib. 2. de Trinit. c. 23. optime explicant. *Si essentialiter ubiq; est, ergo & ubi locus est, & ubi locus non est. Erit itaq; & intra omnem locum, & extra omnem locum: erit supra omnia, infra o-*

omnia, infra omnia: intra omnia, exsra omnia. Et Isid l. Sent. c. 2. *Immensitas divinæ magnitudinis ita est ut intelligamus eum intra omnia: sed non inclusum: extra omnia: sed non exclusum: & ideo interiorem ut omnia contineat: ideò exteriorem, ut incircumscriptæ magnitudinis suæ immensitate omnia concludat.* In omnibus punctis spatij totam essentiam, bonitatem perfectiones absolutas & relativas habet nec major est in spatio immenso quàm in puncto indivisibili; & quamvis cogitetur esse in quocunque spatio infinities infinitis vicibus multiplicato punctum & indivisibile est si comparetur cum eo spatio quod sibi formare potest. *Deus est infinitus* quia infinitas perfectiones continet. *Quæ* infinitudo in ordine ad esse divinum dicitur *continentia eminentialis*, in ordine ad intellectum creatum dicitur *incomprehenssibilitas.* In ordine ad durationem *æternitas.* In ordine ad spatium *immensitas. Deus est ubiq; per essentiam* quia est immensus. Per præsentiam, quia intuitivè omnia cognoscit, ut S. August. dixit l. de essentia divinitatis. *Deus est ubiq; præsens sed latens*, præsens quia ipse omnia cognoscit, latens quia non videtur à nobis, est per potentiam ubique quia ubi-
„ cunque est, operari potest. Est etiam extra mun-
„ dum Unde idem Doctor lib. 11. de Civit. cap. 5.
„ An forte substantiam DEI quam nec includunt
„ nec determinant, nec distendunt loco: sed de ea
„ sicut de Deo sentire dignum est fatentur, in cor-
„ porea præsentia, ubiq; totam tantis locorum extra
„ mundum spatijs absentem esse dicturi sunt, &
„ uno tantùm atque in comparatione illius infini-
tatis

„tatis tam exiguo loco in quo mundus est occu-
„patum? non opinor eos in hæc vaniloquia pro-
„gressuros. Sed cùm DEus independens sit ab o-
mni extrinseco spatio, & habeat superfluentem suæ
immensitatis sufficientiam ad hoc ut existat, etsi
præter illum nihil aliud realiter positivè existeret,
dicitur *in seipso esse* & revera est intentionaliter, cum
seipsum, & omnia in se cognoscat, inde idem in
„Psalm. 122. Dicet aliquis antequam Deus face-
„ret sanctos ubi habitabat? in se habitabat Deus,
„apud se habitabat, & apud se est Deus. Et ut Mi-
„nutius Fælix dixit, Deus ante mundum fuit sibi-
„ipsi pro mundo, vel ut Tertull. contra Praxeam
„c. 5. Ante omnia Deus erat solus ipse sibi & locus
„mundus & omnia. Æternitatis descriptio data à
„Boëtio, quod sit Interminabilis vitæ totæ simul &
„perfecta possessio soli divinæ competit. Dicit e-
nim actualem existentiam, in qua nihil expectetur
sed totum jam teneatur: dicit non qualemcunque
sed vitalem quæ omnium optatissima: dicit vitæ
interminabilis, id est initio carentis ac termino, ut
neque fuerit, neque potuerit esse sub non esse ante,
itemque sub non esse post: totius simul est vitæ
possessio, cui non succedit pars post partem, sed o-
mnem suam extensionem habet collectam: perfe-
cta possessio, quia independens, nec ex beneficio
alterius veniat; neque extra se aliâ re indigeat ad
beatè essendum. Ipse Deus ut ait S. Dyon. de diu. No-
„min. c. 15. Est principium & mensura ævorum &
„temporum entitas, & entium ævum. Ipsius sicut
immensitas totam magnitudinem quæ absque ter-

mino in omnem ſpatij imaginarij partem diffunditur, colligit in unum diviſibile ſpatium, ut non minus habeat in puncto quàm in ſpatio immenſo ita æternitas ætatem & vitam Dei quæ infinito tempori imaginario coextenditur in unum colligit „momentum. Cogita ait Lesſius quanta mens ſit „Deus quàm vaſta quàm capax finge per infinitum „tempus à parte ante quotidie ei occurrere novas „veritates novas ſapientiæ notiones, nova gaudia: „quam infinitus horum eſſet numerus per infini„tum tempus hæc omnia ſimul & ſemel compre„hendit & posſidet. Non ſic creaturis evenit etſi enim in Angelis SS. & in Beatis viſio beatifica & fruitio tota ſimul ſit: alij tamen actus intellectûs & voluntatis, locutiones, & auditiones, non ſunt ſimul. „Unde S. Aug. 1. Confeſſ. c. 6. dicit Deo. Non „mutaris neque peragitur in te hodiernus dies, & „tamen ante te peragitur: quia in te ſunt & iſta o„mnia, non enim haberent vias tranſeundi niſi „contineres ea. Et quoniam anni tui non deficient, „anni tui hodiern⁹ dies: & quàm multi jam dies no„ſtri & PP. noſtrorum per hodiernum tuũ tranſie„runt! Tu autem idem ipſe es, & omnia craſtina & „ultrà, omniaq; heſterna & retrò, hodie facies ho„die feciſti. Sic verò probat Ariſt. 12. Metaph. tt. 5. *Deum eſſe intellectivum*, ſi enim nihil intelligat ſed ita ſe habeat ut dormiens, quidnam præcellens erit? Deum verò præcellentisſimum omnes concipiunt. *Deum ſemper actu intelligere*, ſic idem oſtendit. Quia ex eo quod intelligit, ei honorabilitas

ineſt,

ineſt, ut ergò ſit optima ſubſtantia debet ſemper intelligere. *Intellectionem eſſe Dei ſubſtantiam* ex hoc concludit, ſi enim non eſſet ſua intellectio Deus, ſed eſſet in potentia ad intellectionem, rationabile eſt laborioſam ei continuationem intelligendi eſſe. *Deum ſeipſum intelligere*, in hunc modum probat. Intelligere debet id quod digniſſimum & honorabiliſſimum eſt, quare ſeipſum intelligit. Intelligere verò omnia etiam abſurda abſurdè negat. Si enim nobis dat vim & hæc intelligendi, & ipſe vim ea cognoſcendi ſaltem eminentiori modo habere debet. Si etiam ad viliſſima concurrit, quomodo ea non cognoſcit? *Deum habere providentiam rerum particularium*, in hunc modum deducit 10. Ethic. & 2. Moral. cap. 7. Deus diſtribuit bona hominibus, itaque providet. Et 10. Ethic. cap. 8. Qui ex intellectu operatur huncque excolit, atque optimè afficit, is videtur Deo cariſſimus. Nam ſi aliquam rerum humanarum curam Deus habet, conſentaneum eſt, ipſum re illâ quæ optima eſt, atque ipſi maximè cognata, delectari, qui eſt intellectus: eoſque qui eum maximè amant & honorant, remunerari, utpotè eorum quæ ipſi ſunt amica, curam habeat. Quanquam non deſunt qui circa hoc aliis locis notent errores hujus Philoſophi, Sed quidquid ille ſenſerit, Veritas clamat Providentiam etiam circa ſingularia, quia Deus conſervat ſingula, fovet, & ſuſtentat: ad ſingulas operationes ſingulorum concurrit, media ſingulis præparat quibus ſuum finem conſequantur. Sunt enim illius effectus, ſunt quæ ille cognoſcit, amat: nec in bene-

faciendo fatigatur aut torpet. Nec est indecens eum singulis prospicere, sicut non est indecens produxisse singula: imò indecens esset, opus quod fecit deseruisse. Et si homo prudens providenter agit, DEum improvidè agere quis dicet? In ipsa hominis mira constitutione non potest satis Galenus lib. de usu partium admirari providentiam, an pauca sunt in mundo quæ æquè mirari possumus? intueamur cœli motus & intelligamus, intueamur cœli dispositionem, & sapientissimam providentissimamque Mentem statim adorabimus. *Deus est infinitus in perfectione.* Quia limitatio in perfectione procedit ex eo, vel quia qui dat perfectionem, non dat infinitam, vel quia qui recipit, non potest recipere infinitam. Deus verò nec recipit ab alio, nec illi dat alius, itaque esse illimitatum habet. Ex se etiam non habet causam, per quam ad certum genus perfectionis limitetur, aut gradum illius. Imò si non esset ens summè perfectum, alia entia non haberent unde perfectionem desumerent. Et cùm Deus possit producere perfectius ac perfectius in infinitum, debet illorum perfectionem habere, atque ita infinitam, ita tamen ut non sit omnia formaliter, sed unum ens formaliter, omnia eminenter. *Deus est in rebus omnibus.* Perfectio enim est esse alicubi præsentem, & maxima esse ubique, & omni rei præsentem esse intimè: & quidem ita esse ut non partem sui exhibeat aliquibus, sed se totum singulis. *Deus per speciem videri non potest.* Quia species supplet vel inhabilitatem objecti ad hoc ut ipsum per se videatur: vel distantiam. In Deo ve-

rò neutrum horum invenitur, cum enim id utrumque per suam essentiam habeat, non potest in hoc ab aliquo juvari, est enim Deus actus purus ac infinitus, & per suam essentiam intelligibili potentiæ proportionatus, atque approximatus. Hæc enim est perfectio nullam habens admixtam imperfectionem. Angelus autem solùm respectu alicujus potentiæ intellectivæ proportionatur, non autem omni, idcircò per speciem ab alio Angelo cognosci potest. *Potentia Dei est infinita.* Quia eò major vel minor est potentia alicujus rei, quò illius essentia est magis vel minus perfecta, cùm unumquodque tantùm possit agere quatenus est ens actu. DEI verò essentia est simpliciter perfecta, itaque & potentia simpliciter infinita. Intensivè quidem, quia in se est infinitæ perfectionis, extensivè autem quia in objectis suis infinitam habet extensionem. *Deum adæquatè cognoscere non possumus in hac vita.* Quia Deum ex effectibus cognoscimus, nullus autem effectus Deum adæquat, quocirca nec adæquatè repræsentat. Si *Deus esset corporeus, non esset Deus,* quia omne corpus dividi potest, quod verò dividi potest habet potentiam passivam ad hoc ut dividatur. Omni autem potentiæ passivæ aliquid respondet quod est prius illâ, à quo illa possit in actum reduci, itaque si Deus esset corporeus, non esset primum ens, atque ita nec Deus. Pars etiam corporis una est imperfectior quàm totum, itaque partibus deesset imperfectio, atque Deo imperfectio inesset. Hinc ulteriùs. *Deus non potest constare materia & forma.* Quia materia est pura potentia

respectu

respectu formæ, atque adeò causâ efficiente eget, quæ illam in actum reducat, atque ita daretur causa efficiens Dei. *Non potest esse in Deo ullum accidens.* Quia accidens illi tantùm additur, cui deest aliqua perfectio, quæ ab illo accidente compensatur. *Deus est bonus.* Quia 1, Ethic. 1. Bonum est quod est appetibile, omnes verò creaturæ appetunt DEi similitudinem, quocirca appetunt Deum ut ipsis impertientem perfectiones, per quas Deo similes reddantur, & quia Deus ab omnibus appetitus est summè bonus. Sed etiam *in se est bonus*, quia est perfectus, perfectum enim esse habet, habet principia operationum perfectissima, attingit finem sibi propositum, in quibus tribus perfectio rei consistit. Quod verò bonitatem moralem attinet, & in illa est infinitus, quia tum opera moralia bona exercet tum habitudinem infinitam habet ad illa exercenda, quæ bonitas quando est excellens, uti in Deo est, *Sanctitas* est, quæ vox significat munditiam ab omni macula morali cum firma adhæsione ad summum bonum.

XXIV. De iis quæ possunt deduci ex eo, quia Deus est infinitus.

IN hac deductione procedemus per quasdam hypotheses, quarum aliæ sternent ad alias viam. Et sit *Hypothesis* 1. Si produceretur linea recta in infinitum, illi non conveniret definitio rectæ lineæ, quia non haberet puncta terminantia aut inchoantia: linea verò per ordinē ad hujusmodi puncta definitur. Nam intelligitur generari ex fluxu puncti,

at

at infinito nullum primum punctum sine periculo terminationis infiniti Euclid. certè 1. Elem. def. 1. ita lineam rectam definit. *Linea recta est quæ ex æquo sua interjacet puncta.* Archimedes, *est minima earum quæ terminos habent eosdem.* Plato, *Linea recta est cujus extrema obumbrant media.* Quocirca cùm DEus sit infinitus, non potest esse longus, latus, profundus, ista enim rectis lineis mensurantur. 2. Si daretur infinita linea, esset trina & una. Quod patebit ex dicendis inferiùs. 3. Angulus infinitè acutus est recta linea, quia cùm per partes æquales in infinitum ad rectam lineam accedat, dum latus lateri accedit, ita ut magis non possit accedere, debet cum recta concidere, cum qua unum punctum commune habuit. 4. Si daretur angulus maximus aut minimus, in se omnes angulos alios includeret, quia maximus omnes includit, atqui maximus idem est cum minimo, cùm uterque sit recta linea, ut mox dicetur. 5. Angulus maximus seu infinitè obtusus coincidit cum recta linea. Quia infinitè ad eam accedit per externum angulum, ita ut magis non possit accedere; nec enim potest dici in hoc casu, quod una linea penes aliam ducatur, quia non ligarentur eodem puncto. Atque ita quæ coincidunt cum uno tertio secum etiam coincidunt, quia angulus maximus est cum recta linea idem, & cum eadem coincidit angulus minimus, itaque maximus idem est cum minimo. 6. Angulus maximus & minimus si sunt infiniti, sunt æquales. Quia ut Hypothesi 4. & 5. ostensum, coincidunt cum recta. 7. Triangulus infinitum in magnitudine unum habens

bens angulum est linea recta, quia quò unus major est angulus, eo minores alij, ergò cùm unus infinitè magnus, duo infinitè parvi, ergo omnes recta linea, ac proinde æquales. Juxta 3. & 4. hyp. 8. Triangulus infinitus est circulus; ostendetur infra quod circulus infinitus sit ipsa recta, & infinitæ rectæ æquetur, ergo & linea infinita æquatur circulo per axioma 8. Euclidis ergo singula latera infiniti trianguli erunt linea simul & circulus. Sed recta linea infinita continet omnem lineam rectam seu ejusdem rationis: nam si non omnem contineret aliqua illi addi posset, & sic major evadere; quod in finiendo non patitur. Ergo unum latus continet omnia latera, ergo unum latus trianguli est triangulum & est simul recta, ergo simul est circulus, ergo simul est unum & tria & ipsa est *Trinitas Unitas*. 9. In triangulo infinito unus angulus non est major duob9, nec duo uno, nec tres uno sed omnia unum patet ex præcedenti. Quia unus omnes cõtinet & illis æquatur & duo sunt recta linea qualis etiam est unus ac tria, atque sibi æquantur. 10. In triangulo infinito tres anguli *non possunt numerari unus, duo, tres*, sed ut duo sunt unus, ita unus tres, & tres unus, patet ex præcedenti. 11. Triangulus infinitus est recta linea. Quia constare saltem debet duabus lineis infinitis. Verùm duo infinita ejusdem generis esse non possunt, nam sibi commensurari possent, & sic haberent terminos, addi possent, & sic majus infinitum redderent. Præterea, quia ut 1. Elem. 22. Omnis trianguli duo latera omnifariam sumpta, reliquo sunt majora.
Ergo

Ergo latus infinitum junctum finito, majus altero latere infinito, & unum infinitum majus alio, quod repugnat. Sed tertium etiam latus debet esse vel finitum, vel infinitum. Si finitum continebitur in latere infinito, quia omne finitum est in sui generis infinito. Nam si esset extra illud, addi illi posset, majusque efficere. Si infinitum, tum duo infinita ejusdem generis erunt, imò tria, quod est impossibile. Itaque omnia tria latera erunt una sui generis linea, v. g. recta. Si triangulum concipiebamus rectilineum. Ergo omnes tres lineæ sunt una, ac proinde ille triangulus *non est compositus ex tribus lineis*, sed una simplicissima linea & illa tres, & tres una. 12. Infinitus circulus totus sibi centrum est, Ostendetur enim sequenti hypoth. in infinito circulo centrum esse rectam, infinitam, & circumferentiam esse etiam rectam infinitam, ut hyp. 14. Sed duæ infinitæ lineæ esse non possunt ut dictum hyp. 8. Ergo ipsa circumferentia est sibi centrum. Ergo *circumferentia nusquam & centrum ubiq.* 13. In circulo infinito centrum est æquale circumferentiæ. Centrum est punctum ex quo ductæ rectæ ad circumferentiam sunt omnes æquales. Sed non possunt duci rectæ æquales ad circumferentiam infinitam, cùm illa sit recta linea, ut mox ostendetur, nisi in linea æquidistante seu parallela. Sed quæ rectæ lineæ est parallela etiam ipsa est recta. Jam verò ut sint æquales debent sub ijsdem angulis educi. Præterea debent posse duci ex centro ad omne punctum circumferentiæ, sed sub ijsdem angu-

gu-

gulis cùm sint parallelæ ex eodem puncto rectæ nequeunt duci, neque plures ex eodem puncto. Itaque si ex singulis circumferentiæ punctis ducantur, & erunt inter se æquales, lineam alteram æqualem requirant in quam desinant, æqualem scilicet illi ex qua sunt eductæ, & erit centrum, itaque centrum æquale erit circumferentiæ. Ex hoc etiam patet, quòd si daretur conus non ifinitè altus, sed infinitam habens basim, esset solummodò circulus in plano. Ergo centrum in infinito circulo, est linea æqualis rectæ peripheriæ. 14. Circulus infinitus est recta linea, quia quò major circulus magis ad rectam accedit ergo infinitus infinitè accedit, sed quod infinitè ad rectam accedit, videtur esse rectum. 15. In infinito circulo diameter, æqualis est peripheriæ. Qui in medio diametri est centrum, sed in circulo infinito centrum est æquale peripheriæ uti hypoth. 13. ostensum. ergo & diameter æqualis est, & non major. 16. Infinitus circulus ubique centrum habet, patet ex 13. hypoth. & ex his patet, quomodo *si Deus esset aliquâ extensus quantitate, haberet omnem quantitatem.* 17. Si daretur corpus infinitum non esset in loco; quia locus est superficies ambiens, infinitum ambiri nequit, & ita DEus etsi corporeus esset, nondum esset in loco. 18. Si daretur moles infinita non esset, nullibi, sed neque esset in loco quia nulla superficie ambiri posset, atque ita esset in se. Simili modo DEus ratione suæ infinitatis, in seipso ante mundum conditum, & extra mundum in sua essentia dicitur esse. 19. Si daretur corpus infinitum

tum non esset corpus, sed spiritus: nam spiritus est cui connaturale est definitivè existere: id est, ita ut quælibet pars illius sit in toto spatio & totus in toto spatio, sed corpori infinito juxta dicenda id esset connaturale: Itaque esset Spiritus, & sic Deus cùm sit infinitus necessariò est Spiritus, 20. Si daretur corpus infinitum *replicari non posset*, nisi intra seipsum, quia semel sumptum, omne possibile implet spatium, 21. Tale corpus esset *immensum* & à nullo posset abesse, quia jam alicubi terminaretur. 22. Si daretur accidens infinitum in extensione, non posset nisi infinito subjecto uniri: quia nihil ejus extra subjectum esse deberet. Si autem in intensione esset infinitum, etiam requireret subjectum infinitum, quia ex finito educi non posset; & si infinitè uniretur, identificaretur, & sic patet quomodo *quæ in creatis accidentia, in Deo ipsa sint essentia* quod ipsum 37. hypoth. ostendit. 23. Si daretur infinitè aliquid bonum, esset *ipsa bonitas*, quia quò magis aliquid bonum, magis ad bonitatem accedit. Ergò si infinitè accesserit, erit ipsa bonitas. Quodsi bonum esset infinitè sed bonitate accidentali, cùm illi infinitè bonitas uniretur, esset idem cum ipso juxta 21 hyp. 24. Si daretur infinitum in quocunque genere, non tamen in genere quantitatis, illud esset *optimum*. Quia ut S. August. lib. 6. de Trinit. c. 8. *In his quæ non mole magna sunt, hoc est majus esse quod est melius esse.* Ergò hoc est infinitum esse quod infinitè bonum esse. 25. Motus infinitè velox est *ipsa quies*: nam ex doctrina S. Thom. 1. p. q. 53. quies & esse hic, ut etiam immediatè antè fueris hic:

quòd verò infinitâ velocitate moveretur esset modò hic, ut etiam immediatè ante fuerit hic, est enim hic ita citò, ut citiùs non potuerit esse: sed si immediatè antè hic non fuisset, potuisset citiùs & citiùs in infinitum hic fuisse. Ergò illius quies est motus, & motus quies. 26. Si daretur motus infinitè tard⁹ & ipse esset quies: quia quovis qui nō est quies potest dari tardior, sed soloeo non posset dari qui ad quietē accederet infinitè. 27. Si quies esset cum duratione infinita esset *æternitas*, quæ est quies infinita carens omni motu, motus enim corpori competit. Hinc Deus ob æternitatem sibi identificatam infinitè quietus, & ob infinitam quietem æternus. 28. Qui durat infinitate seu æternitate, non potest loqui nisi *unum verbum idque indivisibile*, quia verba sibi succedunt, in æternitate nulla successio, idcircò *Verbum* illud esset *permanens*. Et quia semper maneret alter esse non posset. 29. Si daretur quispiam infinitè seu æternitate durans apud eum omne *præteritum & futurum esset præsens*, quia in æternitate finis & principium idem sunt, quia sunt unum nunc. 30. Si quis ab infinito tempore duravisset apud illum fuissent *sicut dies hesterna quæ præteriit*. In infinita enim duratione dies est annus, & sæculum & mille sæcula. Quia totidem sunt horum singulorum in infinito. Sicuti in denario, si totidem essent biniones, terniones, quaterniones, quot unitates, ipsi biniones, & terniones, & quaterniones essent unitates. 31. Si daretur in causis processus in infinitum nulla causa ageret, atque ita necessariò *debet dari causa prima*, ut probat Arist.

8. Phy-

8. Physic. tt. 34. & ex eo S. Thom. 1. p. q. 1. a. 4. In eo casu verò primus motor non daretur, nam in infinito nihil primũ, alioqui daretur termin9, sed imo. Motore sublato cessant omnes motus. Itaque si in causis datur processus in infinitum, nulla causa agit. 32. Si daretur processus in finibus in infinitum, ita ut nullus daretur *Ultimus Finis*, omnis appetitus cessaret. Probat. S. Thom. 1. c. Bonum quod appetitur se habet instar motoris: sed ubi motor primus cessat, quod idem est ut hypoth. præced. ostensum, cessant motus secundi: itaque nullum bonum moveret appetitum, ac proinde neque appeteretur. 33. Si daretur infinitum, non esset magnum aut parvum, quia hæc sumuntur respectu alterius: Infinitum verò cum alio comparari nequit, neque alicui coæquari, proinde neque esset majus aliquo, neque minus non tamen æquale alicui. Et ulterius. *Ad infinitum finiti nulla proportio.* Quia proportio est inter illa, quæ communem admittunt mensuram: At nec infinitum mensurari potest per finitam mensuram, ita ut veniatur ad ultimum, quia eo ipso esset finitum. Sed neque finitum per mensuram infinitam mensurari potest, ut per se patet. 34. Si daretur infinitum non esset inæquale omnibus, & unicuique & nulli, quia non est majus aut minus aliquo, aut omnibus, sed nulli inæquale, quia inæqualitas sumitur penes terminos, qui locum in infinito non habent: proinde infinitum non est æquale aut inæquale, sed est infinitum, de quo neutra illorum propositionum verificatur, non sunt enim contradictoriæ, nam utraque dicit

aliquid positivum & neutra aliam negat. Æquale tamen aliunde esset omnibus, si omnia dari possent, & majus illis quia perfectionem contineret omnium & aliquid amplius. Quia est supra omne finitum. Et sic Deus *est in omnibus & super omnia.* Neque ulli æqualis, sed nec propriè inæqualis, sed infinitus. 35. Si finitum uniretur infinito, esset idem cum illo, quia uniri infinitè est identificari, quacunque enim alia unione datur major, idcircò *attributa* infiniti, etsi finita essent, cùm illi infinitè uniantur, erunt *idem cum eò*, atque adeò infinita, de quo etiam hyp. 21. egimus. 36. Si daretur infinitum in virtute esset *indestruibile*, quia potentia destructiva semper debet esse fortior. Cùm omnis actio victoriosa à proportione majoris inæqualitatis procedat. Infinito verò nihil fortius, & ob similem causam *neque ab aliquo conservari* posset infinitum. Sed etiam infinitum mole aut extensione, neq; destrui, neque conservari posset, quia id quod produci non potest, neque destrui aut conservari potest. Si enim est, à se ipso est. Si à se ipso est necessariò est. At quod necessariò est, destructionem non timet. Atque hinc sequitur. Si DEUS infinitus est, neque destrui, neque conservari potest. Ad infinitum enim terminum non datur actio, quia cùm causa minus producat in mole quàm sit ipsa, deberet esse major infinito. 37. Si daretur infinitum intra finita nihil esset tale quo non aliud posset magis ad infinitum accedere: Quia in infinito sunt partes infinities infinitæ, ex linea enim infinita possum quoties volo auferre lineas quoscunque; quarum extrema infinitè distent,
ergo

ergo quotiescunque res finita ad infinitam accesserit, nunquam illam adæquabit, & per hoc patet quòd *creatura perfectissima* esse non possit, quia *nunquam totam immutabilitatem Dei*, quæ est infinita *exhauriet*. 38. Si datur infinitum *est unum*. Quia implet omnia, & est ubique, & dato altero infinito, esset illi æquale vel inæquale, ergo clausum terminis, ergo minus vel majus altero quod repugnat. 39. Si daretur infinitum, esset intellectu nostro *incomprehensibile*. Quia intellectus finitus ad infinitum nullam habet proportionem; & quidem noster intellectus dependenter à phantasmate operatur: sub phantasma autem non cadit infinitum, multò minus sub sensum à quo desumit phãtasma. Visus enim infinito colorato non gauderet, nam si illum excellens lædit visibile, quid infinitum? auditus etiam, gustus, olfactus, pariter se habent, imò & tactus. 40. Si daretur infinitudo *nihil extra eam dari posset ejusdem generis*, nam si extra illam aliquid esset, illud addi posset, atque adeò majus reddi infinitum. Ergo si esset infinitudo in omni genere perfectionum, omnis perfectio esset in illa: & nulla extra illam nisi *per participationem ab illa, & sublata illa omnia necessariò* perirent. Et ita DEum omnia necessariò participant, atque illo sublato perirent. 41. Si daretur infinitum, *sic esset omnia*, ut *nihil esset omnium*. Esset omnia: ut supra ostensum. Nihil unum omnium, quia *eminenter omnia*? Ut præcedenti hypothesi. 42. Si daretur infinitum, *non esset creatum*. Quia omnis actio fertur ad aliquid terminatum, ut S. Thomas 1. p. q. 7. a. 4. in c. docet, idcirco esset *ens se*. Ponat

nat enim si fieri potest, Deus lineam infinitam. Itaq; posuit. De qualitate ejus parte cubitali verum dicere quod existat, ergo & de omnibus simul, si omnes existunt, ergo ultra illas nihil est illarum quod existat, ultra quod autem quantum nihil est, illud quantum est terminatum, itaque illa linea esset terminata, atque adeò finita. 43. Si daretur infinitum, *omnia contineret in se*. Patet ex 40. hyp. 44. Si daretur infinitum, *omnia quæ posset continere, actu contineret in se*. Nam illi identificaretur posse cum actu, sicut si materiæ potentia formas habendi infinitas identificaretur cum actu, haberet formas omnes actu, in infinito verò idem est potentia quod actus, idcircò actu omnia quæ potest continere, continet. Itaq; *quidquid potest à nobis cogitari posse esse DEus, jam est actu, & quidquid possumus illi attribuere perfectionum jam habet*. Ergò *omnia quæ à nobis cogitari potest, esse posse, est Deus*, ergò *est Omnipotens, Bonus, Sanctus*. &c. 45. Si daretur unum infinitum infinita in se contineret & tamen esset unum. Dividatur enim in partes millies millenas, quælibet debebit esse infinita, siquidem hic est finitus numerus: infinitum verò non potest constare partibus finities finitis. Et idem redit quemcunque partium numerum assumpsero. Igitur tot jam partibus infinitis constabit. Possum verò augendo numerum progredi in infinitum, quocirca partibus infinitis in infinitum constabit. Atq; ita si Deus infinit⁹, infinita in se perfectionum suarum infinita continebit, eaque ob infinitam simplicitatem sibi identificata

46.

46. Si daretur infinitum esset *indivisibile* si enim dividi posset, dividatur v. g trifariam pars quævis erit infinita, & una duabus collata erit minor, atque per hoc clausa terminis, vel tollantur ex linea infinito medio centum palmi, & linea contrahatur, ne maneat hiatus: ergò spatium post se relinquet, ergo erit clausa terminis. Hinc sequitur Deum esse indivisibilem. 47. Si daretur homo infinitus, *totus esset cor, totus oculus, totus pes, totum totus*. Quia oculus esset infinitus & quælibet pars oculi quam assignaveris, infinita: itaque immensum spatiũ impleret: ergo esset ubiq; idem de manu, corde, pede, & quia naturaliter se pars cum parte non penetraret, & tamen esset ibidem, debebit identificari, debet enim aliquomodo esse in eodem, sed non per penetrationem, itaque per identitatem, tertius modus non suppetit. Et hinc patet *quod Deus, ratione suæ infinitatis debet esse ubiq; & omnia*. Et hoc ipsum extenditur ad vivens organicum, siquidem quod est ejusmodi, necessariò partes heterogeneas habet, de quibus idem discursus institui potest. 48. Si daretur infinitum vivens definitivè existeret in loco, esset enim hîc v. g. & pars esset quævis in quavis parte loci, ut proximè dictum, neque ullâ superficie terminaretur siquidem esset infinitum. 49 Si daretur vivens infinitum naturaliter esset *invisibile*, quia quod definitivè existit naturaliter videri non potest, sed vivens juxta hypoth. præced. definitivè existeret. Patet hoc & ex hyp. 39. Præterea nihil videtur nisi in superficie coloratum: nam si esset opacum

&

& solùm intùs coloratum, omninò non videretur. Atqui corpus infinitum nullam admittit superficiem, alioqui illâ contineretur, & esset clausum ac finitum. 50. Si daretur aliquod ens infinitè intellectivum non posset habere aliud adæquatum *objectum* nisi *seipsum*. Quia deberet habere infinitè perfectum, hoc est, infinitè verum, itaque infinitè ens, verum enim cum ente convertitur. Infinitum verò ens debet esse à se, nam omne quod ab alio est, finitum est. Quod verò à se est perfectissimum est. Hoc verò non potest esse nisi infinitè intellectivum, ut patebit ex seq. 51. Si poneretur aliqua substantia infinitæ perfectionis, esset *intellectiva*. Quia hæc perfectior est in gradu substantiali, quàm non intellectiva. 52. Imò talis substantia esset *ipse intellectus*: quia hoc purum actum dicit & simplicitatem quæ est major perfectio: ex quo etiam patet quòd De⁹ vi suæ infinitatis sit ens intellectivum, seu potiùs ipse intellectus. 53. Infinitũ est, ex quo semper est aliquid accipere: & ita thesauri divini exhauriri nequeunt cùm sint infiniti. 54. Si daretur numer⁹ infinit9, nec esset par, nec impar, quia omnes tam pares quàm impares contineret, & nullum ultimum, & ita perfectiones Dei neque sunt numero pares, neque impares. 55. Infinito *nihil addi potest* quia omnia continet. Et *Deo melius nihil cogitari* potest. 56. Si possibile est infinitum, *actu existit*. Ita S. Th. 1. p. q. 7. a. 2. ad 1. *Omne infinitum est increabile, quia essentialiter existit*, Et Deus vi suæ infinitatis necessariò existit. 57. Arist. 3. Phys. 30. *Quod infinitum est, non*

potest

potest esf: ex principio aliquo, atque ita Deus debet esse
ex se ipso. 58. Si datur infinitum, *non* potest *in ulla*
specie poni, docet S. Th qui etiam Deum in nullo ge-
nere aut specie ponit. 59. Quia infinita duo ejus-
dem rationis esse nequeunt nec possunt duo esse fi-
lij Dei, aut duo Spiritus S. 60. Si quid ab infinito du-
rat seu ab æterno *sine initio* durat. Nam si cum ini-
tio, ergo ad hodiernum, claudetur infinitum u-
trinque terminis. Nam initio sui habuit unum ter-
minum, hodie illi designo alium. 61. Si daretur
sphæra infinita se tota planum tangeret, atque ita
esset planum, patet ex dictis supra de circulo. Sed
cujus figuræ in specie esset, non potest definiri, nam
centrum deberet esse linea, idque in omnes partes
ducta, non tamen quadratum, quia hoc habet an-
gulos, superficies essentiam sphæræ esset linea &
tamen sphæra maneret. 62 Si esset agens infini-
tum etiam potentias haberet infinitas, cùm hæ po-
tentiæ proportionarentur illi, ex potentijs enim a-
gens noscitur. Et quia potentia infinita velocissi-
mè peragit effectum, itaque nullam moram ha-
bebit, atque omnia peraget instantaneè, & tales
sunt Dei actiones. 63. *Perfectio uniuscujusque est*
bonitas ejus. ut docet S. Th. contra gentes lib. 1. c.
38. itaque cum Deus infinitè sit perfectus etiam
infinitè est bonus. 64. Deus est *infinitè perfectus* quia
est infinitus patet ex his quæ supra diximus. 65. Et
quia est infinit⁹, in perfectione *est participabilis inin-*
finitum, bonum enim est participabile, ergò infinitũ
infinitè. 66. Deus est meta nostri intellectus, quia
quovis magno dato adhuc potest ulterius progre-

 di,

di, ergo ad quoddam ordinatur quo majus nequit cogitari, scilicet ad infinitum Deum. 67. Interea cum infinitum nostræ cognitioni (scilicet ut clarè cognoscatur) repugnat, in quantum repugnat numerationi ut docet S. Th. contra Gent. lib. 1. cap. 69. ergò in quodam infinito nobis sistendum quod numerationi non subjaceat, utpote expers partium, & talis est Deus. 68. Etiamsi Dei attributa essent accidentalia adhuc essent indestruibilia, patet ex dictis. 69. Deus *esse quantus non potest*. Omnis enim quantitas sub figura certa, figura terminos dicit, itaque ut Aug. dicit. *Est magnus sine quantitate*. 70. Et ex hoc ipso patet quòd *non sit materialis*. 71. *Infinitum non potest in aliquid agere*, quod sit extra illud. Quia nullum locum extra se relinquit. Itaque *Deus immediatè in omnia agit*. Et nullam actionem in distans exercet. 72. Si quis haberet infinitæ perfectionis *cognitionem* illa in se manente *immutata cognosceret* omnia, talis verò cognitio est divina, cùm ipsi Deo infinito sit identificata: infinita enim cognitio continet omnes cognitiones, ac proinde quocunque de novo prodeunte objecto non est opus ipsam mutari, sed satis quòd acquirat denominationem coëxistentiæ, quod sc. illud objectum illam terminet ut existens, quod antea ut futurum aut possibile terminabat, simile quid est de volitione. 73. Et quia hæc cognitio DEO identificatur ideò Deus semper actu cognoscit per suam essentiam. 74. Et hæc eadem cùm sit una entitas versatur circa contingentia & necessaria. 74. Sed hoc ipsa dicitur verbum, quod cùm identificetur

dicen-

dicenti, habeatque suam subsistentiam, dicens illud infinitum *habet Filium*, & Filius cùm æquè sit intellectivus etsi eâdem intellectione, amare poterit, quia intellectionem sequitur amor, imò intellectio est propter amorem, itaque amare debebit, idque simillimo amore prædictæ cognitioni, atque ita *cum dicente tanquam unum principium spirabunt*, Amorem subsistentem, qui erit Spiritus S. 76. Et quia eadem in entitate est cognitio liberorum & necessariorum, quatenus est liberorum non addit perfectionem, quia hæc est denominatio extrinseca. Nam infinitam supperaddere non potest cùm superaddere DEum non possit: finitam verò si superadderet, creaturam superadderet. Actus verò cùm sit quid vitale per extrinsecum non potest compleri. Itaque sive DEus hoc liberum cognoscat, sive hoc non cogniturus erat, si nimirum hoc non fuisset exiturum, sed illius contradictorium, æquè perfectus esset. 77. *Actus creati liberi* cùm sint finiti, indifferentes sunt ut existant vel non existant, sed determinati, ut ad hoc objectum & non aliud terminentur. Actus liberi increati, quia sunt infiniti necessariò existunt, sed ob suam infinitam perfectionem possunt ad hoc vel ad illud objectum, ad tot vel plura terminari. Quia actus creati virtus finita commensuratur objecto creato, non sic actûs infiniti virtus. 78. Et quia DEI actus est infinitæ perfectionis, & est liber idem realiter & necessarius voluntatis & cognitionis, & sic omnem perfectionem idem realiter continet, & idem est qui terminatur ad Petri peccatum,

si

si verò peccatum non fuisset non terminatus ad illud fuisset: & ita juxta hoc solum juxta quod abesse non poterat, est perfectio. 79. Et quia DEI entitas infinita continet infinitas perfectiones atque adeò omnes: ergo omnes in DEO videri possunt atque ita *Deus est speculum* quoddam, in quo pro rata meritorum plura aut pauciora clariùs & obscuriùs vident quos visione hâc dignatur. 80. Si daretur sphæra infinita circa axem moveri non posset. Quia in circulo quovis partes infinitas habet designabiles æquales quarum quævis infinita ergo earum quævis nonnisi tempore infinito moveri posset, atque adeò infinities infinita deberent dari tempora. Hoc est si acceperis quemcunque circulum, sit v. g. latus & profundus digito uno: ille certè pars erit sphæræ. Accipe rursus in eo partem aliquotam, v. g. graduum decem, illa etiam pars sphæræ erit, tales partes si sunt finitæ, sphæra partibus finitis constabit: itaq; debent esse infinitæ, & tamen intra terminos, quod modò non exagito. Itaque pars quælibet erit infinita, ergo pars illa nonnisi infinito tempore moveri poterit. Quodsi pars illa finita erit, sed infinities in circulo reperibilis, hoc est contra suppositum, quia dixi accipiendam esse partem graduum decem, quæ solùm 36. vicibus in circulo reperitur. Nam pluries reperiri est impossibile, multò magis si reperiatur infinities. 81. Si daretur infinita substantia non esset generata nam infinitum est à se, & aliunde indestruibile, itaque non haberet *sui privationem*. 82. Si quis *intellectum infinitum* haberet, DEum comprehenderet, adeòque esset æqualis

DEO & ſapientia Dei. & ita ſolus ſe DEus *comprehendere poteſt.* Infinitum enim à finito cognoſci perfectè non poteſt, ut dicitur 1. Phyſ. tt. 35, & 2. Metaph. tt. 11. Illud enim ſolùm comprehenſibile quod habet terminos: comprehendere verò eſt cognitione ad terminos rei venire, ut ait S. Th. Eſſet verò ſapientia Dei. Quia quo Deus ſeipſum comprehendit illud eſt ſapientia Dei. Atqui illud intellectivum eſſet id quo Deus comprehenderetur, & aliunde eſſet Deus, itaque illud eſſet ſapientia DEI. 83. *Si Deus ſemel aliquid infinitum produceret ſemper illud producere deberet* quia cùm duo ejusdem rationis infinita nequeant dari, eo producto (aliunde eſt inannihilabile) otioſa in æternum potentia maneret: aliunde verò totum ſimul produci non poſſet, quia aliquando exiſteret totum, ac verò ultra totum nihil eſt. ultra quod verò nihil eſt illud eſt terminatum ac fines habet, itaque illud infinitum ſi produceretur ſimul eſſet finitum. *Et ita DEus verbum quod ſemel produxit ſemper producit.* 84. Si eſſet aliquod infinitum quantum, haberet infinita in ſe, cùm ejus partes ſint infinitæ & quævis infinita, nam finitis conſtare non poteſt finities: ſi etiam infinities finitis conſtabit, unâ ablatâ fiet minus. Itaq; debet & infinities & infinities conſtare. Jam verò in non quantis ipſa magnitudo eſt perfectio, igitur ſi eſſet infinitum non in quantitate, eſſet infinities infinitè perfectum, *& perfectiones infinities infinitas* contineret & ſimili modo in DEo ſe res habet. & quia infinitum non eſt indiviſibile, alioqui pars ejus tertia in medio poſſet haberi clauſa terminis:

itaque

itaque nec perfectiones in infinito non quanto erunt inter se divisibiles, sed una se communicabit alteri, & transcendet altera alteram. Aut potiùs una cum alia se identificabit. 85. Quia infinita quies coincidit cum motu veloci infinitè ideò divina *quies æquivalet omni motui*, patet ex 25. & 26. hyp. 86. Si daretur *accidens infinitè intensum non haberet contrarium*: non haberet enim aliquod finitum quia contraria sub eodem debent esse genere. Sed neque infinitum, quia vel unum superaret aliud gradibus aliquibus, & sic unum esset terminatum, Vel essent æqualia & sic utrumque esset terminatum. Item contrarium à contrario debet posse superari. Alioqui gratis erit alterum, vel saltem, quantum ex altero in subjecto ad gradus octo deest, supplere. Neutrum verò in infinito locum habet, nam si superaretur, jam à contrario excederetur, itaque in eo genere jam esset terminatum ac finitum. Similiter si gradus ejus residui supplerentur, jam gradibus aliquibus circumscriberetur, essetque finitum. 87. Si daretur bonum infinitum, esset ipsum sui ipsius finis, quia contineret ita omnem bonitatem ut extra illud nulla esset, quæ ab illo appeti posset. Atque ita DEus *ipse solus sui ipsius finis esse potest*. 88. In ens infinitum non *cadunt contradictoria*, quia hæc requirunt dualitatem rerum; unum autem atque simplex est infinitum. Hoc est si sit infinitum in omni genere, habet in se omnia entia æquivalenter, unde nullum de illo negare poteris. Sic de Deo dicere potes, *eminenter est arbor*, neque ex eo quòd

sit

ſit etiam eminenter, Angelus, negare potes, eum eſſe arborem eminenter. Non entia tamen negari posſunt de DEO, ut peccatum quod eſt malum, privatio, ac non ens, mors, &c. Sed talia dum nego non facio negationem entis. Unde horum unum tantùm ſimilitudinariè dicit eſſe, ac proinde non ſunt contradictoria realia. Ac inde eſt ulteriùs, quod infinitum, uti dictum eſt, non eſt capax verorum contradictoriorum. Nam quæ ſunt ejusmodi, unum eorum dicit verum eſſe, alterum non eſſe: Capax tamen contradictoriorum eſt, quod in uno ſolùm genere eſt infinitum. Nam verum eſt dicere, eſt infinita linea, itaque non eſt calor. Vel, ſi eſt calor non eſt linea. At infinitum in omni genere & ſimul eſt hoc, & ſimul non eſt hoc, quia eſt aliud, quod aliud eſt ipſum hoc, quia & hoc & aliud, ſeu non hoc eſt eadem & una entitas. In contradictorijs autem duo ſunt, nam quod eſt lapis, non eſt non lapis, & è contra. 89. Si daretur infinitum ens in omni perfectione, quia omnis perfectio eſſet in illo, & extra illam *nulla eſſet niſi per participationem ab illa, non extrahendo tamen illam ex eo.* Itaque illo ſublato omnia alia interire eſſet neceſſe. 90. Si daretur infinitum in omni perfectione *nominari.* Explicativo & claro conceptu *non poſſet* quia, eſſet omnia. Nunquam autem, quia ſunt infinitum ſyncategorematicum in quo ſemper ampliùs & ampliùs proceditur & nunquam ad ultimum pervenitur. Omnia enim actu clarè concipi non posſũt per modum

dum unius, ita ut nominari possint uno nomine, quia per modum unius plura non concipiuntur nisi per actum confusum. 91. Infinitum *in nulla esset specie*, ita S. Thom. 1. p. q. 7. a. 4. in c. quia infinitum ad nihil potest contrahi, cùm sit omnia, & non ita unum quin aliud. Atqui omnis species contrahitur ad individuum, quod est hoc & non aliud. 92. Si daretur infinitum esset *immensurabile* careret enim terminis esset *principium sine principio, finis sine fine*, & principium sine fine, & finis sine principio. 93. Si datur infinitum *petit* esse unum, quia est omnia & alia non essent, si illud in ijs non esset, & non de illo esse participarent. 94. Si daretur ens infinitè perfectum ab omnibus amaretur naturaliter: quia quisque amat suum bonum dum illud agnoscat, illud autem omnium esset bonum. Et illud infinitum si esset volitivum, necessariò se amaret tanquam bonum infinitum. Et ita *Deus amat seipsum necessariò*, & ab omnibus amatur à quibus clarè cognoscitur. 95. Et si daretur tale infinitè perfectum, *in illo nostra voluntas conquiesceret* quia nihil extra illud bonum reperiret, & in illo omnia. 96. Et quia simul esset infinitum verum, nec enim esset falsum bonum, & veritas bonitati æquaretur, *eo solo intellectus gauderet*, & ut in centro suo cum voluntate nostra quiesceret: in alijs autem de facto quiescere non potest, quia semper alia extra illa, & meliora, & veriora invenit. Et hinc est quod obtento DEO, nec intellectus nec voluntas aliquid ampliùs quærit. 97. Et tale infinitum nonnisi ab infinito amante adæ-

adæquatè posset amari & ut est amabile, atque ita *solus Deus se pro condigno amat*, & quia in infinitis idem est posse, quod actus: *jam se amat*, sed amor est nexus amantis & amati, amans verò & amabile licet subsistant per se seorsim, sunt tamen idem, itaque & amor si cum amante est idem, & cum amato erit idem. Idcircò omnia tria, seu potius *tres sunt unum ac idem & unitas trinitas*. 98. Cùm ille qui in infinito seu æterno loqueretur tantùm unum & indivisibile, ut supra dictum est; loqui posset verbum: si per illud tantùm rem unam exprimeret esset miser: si omnia, etiam seipsum, atque ita illud Verbum infinitorum esset expressivum & ipsum infinitum: nec enim infinito loquenti uniri potest nisi infinitum etiamsi esset accidens, quod non esset. Et quia hoc Verbum identificaretur loquenti licet ab illo procederet: non enim verbum loqueretur se proferentem, sed proloquens illud loqueretur. Idem verò esset cum illo, quia & loquens cùm omnem perfectionem contineat omnium, exprimit omnia. Verbum verò etiam illud exprimit omnia. Duo verò infinita ejusdem generis esse non possunt, itaque idem est utrumque, licet sit & producens & productum, unde etiam distingvuntur Sed quid si illud verbum esset loquentis accidens? adhuc deberet idem esse cum illo & non esse accidens, quia & unio inter illud ac loquentem etiam esset infinita & idem cum illis, utpotè secum identificatis itaque *unum essent, tria & tria unum*. 99. Si daretur aliquis infinitæ potentiæ, loco moveri

non posset. Quia ut 8. Physic. tt. 79 & 86. dicitur, *Ad majorem virtutem motivam major est motus*. Ergo ad infinitam infinitus, atqui motus infinitus est ipsa quies, ut supra dictum est, & ita *DEus summâ velocitate omnia quietissimè operari potest*. 100. Infinitum amat omnia. Quia illa nullam habent bonitatem, seu nihil sunt nisi ex participatione illius, itaque sunt amabilia. Et cùm sit infinitè bonum gaudet simili aliqualiter bono, ac illud amat, & vult illi benè. Itaque vult illud conservare, ac illi prout convenit, providet. Sed cùm sit agens liberrimum, licet nulli possit velle malum, potest tamen quibusdam majus velle bonum alijs minùs. prout ab ijs magis aut minùs participatur, & prout ipsi placuerit. Et quidem si quædam bona participata ad non ens, seu ad id quod non est ex illo se demoveant, cùm nihil illi desit etiamsi illa pereant, potest illa à se abjicere, & negare illis majorem sui participationem, per quam redderentur feliciora. Cognoscit etiam omnia, ut n. 72. Itaque cognoscit etiam illa quæ sub conditione essent: talis enim etiam cognitio possibilis. Itaque providet, disponit, & omnia *ad finem* proportionatum ordinat *suaviter*. Et quædam ad altiorem prædestinat; quædam etiam ob defectuositatem illorum ut inutilia rejicit. 101. Nulla actio enti infinito in æternitate competeret necessaria quin esset identificata. Quia faceret illam cùm primò posset, sed in æternitate nullum est primum, quin aliud prius, ita Sol non posset lucem emanare: quocirca si illam haberet ea identificata esset, & ita omnes actiones necessariæ Deo identificatæ

id est omnes quoad entitatem sumptæ. 102. *Si daretur infinitum indivisibile tàm quoad extensionem, quàm quoad divisionem, illud esset infinitum in perfectione.* Quia res indivisibilis non potest esse infinita nisi quoad perfectionem & essentiam. Quocirca cùm De' sit infinitus & indivisibilis, debet esse in essentia & perfectione infinitus, 103. *Si fuisset motus localis ab æterno hodie fuisset absolutus infinitus & infinitum fuisset finitum,* quod est impossibile. Itaque si DEus est infinitus in duratione, non potest esse ab æterno in motu locali. 104. *Si daretur infinitum bonum indivisibile illud ab infinitis numero creaturis possideri posset.* Totum enim infinitum ab uno finito v.g. homine possideri non potest, & est indivisibile pars ejus posfideri nequit. 105. Et quia unum infinitum non potest esse minus alio, sequitur, si Filius DEI, ut volunt Sacrilegè Ariani, est minor Patre, ejus infinitatem superari à Patre. Itaque nec est Deus, quia non est infinitus. Et si ille excessus quo Arianisticus Pater superat filium, est finitus, tum neque Pater est infinitus. Si excessus est infinitus, jam Filius Patre est infinitè minor. 106. *Infinito nihil potest detrahi.* Detrahatur enim, jam parte detractâ carebit, atque ita non omnia sui generis continebit. 107. *Infinitum non potest esse pars.* Quia à toto concluderetur, atq; terminaretur. 108. *Neque potest esse totum ex partibus, aut divisibile in partes,* quia posset illi aliquid detrahi, contra hyp. proximum. Proinde non potest constare DEus perfectionibus inter se realiter distinctis. 109. *Infinitum in perfectione non potest constare genere & dif-*

ferentia. Quia in illo conciperetur una pars ab alia perfectibilis, atque adeò hæc non infinitè perfecta. 110. *Quia ex infinito accipientibus semper superest quod accipiant*, quantumcunque aliquis à DEO acceperit adhuc superest quod alij accipiant, neque ullus in acceptis æquabitur datis à DEO. 111. *Si quis ab æterno, hoc est, infinito verbum proloqui vellet, non posset articulatim proferre*, Sed neque syllabam, neque literam hoc modo proferret, aut aliquid agere quod est tempore mensurabile, quia finitio illius v. g. syllabæ fieret in tempore, atque ita intercederet inter ipsius initium ac finem tempus. Et cùm inchoata esset ab æterno seu infinito, finita verò in tempore, inter finitum & infinitum mediaret illud tempus, & ad finem temporis finiretur æternitas. 112. *Ad infiniti terminos nec post infinitum temporis perveniri posset*, quia dum cogitantur termini, finitum cogitatur. lib. de sensu & sensili c. 6. *Quorum sunt ultima seu extrema, ea necessariò finita sunt.* Phys. 8. *In infinito non potest reperiri terminus.* 113. *Non est infinitum quod in aliquo uno genere excedit infinita.* Alioqui homo esset infinitus, cùm superet omnia possibilia animalia, quæ sunt infra illum ponibilia in infinitum. Opus ut infinitum perfectiones contineat infinitas. Itaq; Deus cum sit in perfectione infinitus debet omniũ continere perfectiones. 114. *Infinitum in perfectione nullã admittit imperfectionem*, quia illa imperfectio per aliquã perfectionem posset compensari, atque ita aliquid addi infinito. 115. Et *quia infinito nihil potest accedere*, necesse est DEum esse actum purum sine ulla potentia passiva. 116. *Infinitè perfectum habet suas*

per-

fectiones per identitatem: quia hoc modo illas habere est perfectio. 117. *Infinitudo nulli creaturæ est communicabilis*, quia desineret esse creatura, fieri etiam non posset, omne verò quod fit terminatum est, ut supra diximus. 118. *Infinitè perfectum est infinitè sanctum*, quia magna perfectio est sanctitas. 119. *Infinitè bonum est infinitè sanctum*, quia sanctitas est species bonitatis. 120. *Si aliquid fuisset ab æterno productum neq; in tempore, neq; in instanti productum fuisset.* Non in tempore, quia ante illud tempus non fuisset, atque ita non ab æterno fuisset. Sed neque in instanti quia illo instanti incepisset, & ante illud non fuisset. Præterea duratio secuta illud instans non fuisset æterna, atque adeò finita, & tamen uno solùm instanti post æternitatem cœpisset, & solo uno æternitate minor esset. Itaque si quid æterno productum fuisset, non eo modo productum quo producuntur creaturæ, itaque nec in instanti nec in tempore, sed ante omne instans, & tempus omne. 121. *Si vivens aliquod fuisset creatum ab æterno, v. g. equus, diversæ esset naturæ à modernis.* Nam æternus equus mori nunquam posset, moriatur enim post annos 50. Itaque non fuit ante annos 50. itaque non semper fuit. Ex quo etiam patet, quòd mundus qui tot corruptibilibus constat, non potuit esse ab æterno. 122. *Et Si DEus infinitus esset quantitativè non comprehenderetur.* Quia infinito quantitativo repugnat cognosci ac comprehendi. Sicut enim se res habet ad esse ita ad cognosci, infinitum autem quoad esse ita se habet ut semper aliquid illius sit extra. Itaque & semper ita cognosceretur ut ali-

quid supersit cognoscendum. Et sicut repugnat infinita esse pertransibile, ita repugnat esse comprehensibile. Comprehendere enim est ad terminos rei cognoscendo pervenire, & rem cognitione finire, ut ait S. Th. At infinitas DEI, quia est infinitas in vigore, à DEO comprehenditur, quia non involvit infinitatem partium extra se positarum, quarum non detur ultima. 123. *Deus non cognoscit ita infinitum ut in illo quid ultimum cognoscat*, quia in illo nihil est ultimum. Et infinitum Syncategorematicum ita cognoscit ut cognoscat infinita in potentia. 124. *Si daretur linea infinita non posset esse versus orientem quin simul versus occidentem esset infinita*, quia si versùs occidentem esset terminata, posset illi aliquid addi, atque ita major fieri. 125. *Si infinitum in mole actu poneretur esset simul finitum & infinitum*. Finitum quia partes omnes actu haberet, & post omnes sumptas nulla superesset. Infinitũ autem ut supponitur itaq; De⁹ non est mole infinitus. 126. *Si DEus infinitum actu poneret, finiretur ejus potentia*. Nam si adhuc plùs potest facere, infinito plus potest fieri. Potest ergo solùm finita facere in infinitum, & in hoc est ejus potentia, quòd in omni genere entis possit hoc facere, & omni instanti horæ quotlibet Angelos creare distributivè non collectivè, ita & continuum dividere potest ut nunquam ad ultimum indivisibile aut perveniat, aut illud videat. 127. *Si daretur numerus infinitus non esset numerabilis*, quia numerando pertransiretur. 128. *Non posset etiam nomen habere*, quia non esset millenarius &c. 129. *Si daretur corpus infinitum* v. g. terra, *nulla pars ex illo accipi posset*,

non enim è medio illius tolli posset aliquid nisi cùm tolleretur, ad extremum transeundo pars accepta penetraret alias: non ex locis vicinis superficiei, quia superficie careret. 130. *Infinitum corpus circulariter circa centrum moveri non posset*, nam centro careret, dato enim centro, producantur ex eo rectæ quaque versum tanquam ad circumferentiam, ubi in illa desinent partem corporis abscindent, & quidem infinitam; itaque illam utrinque concludent. Ex quo patet quòd sit procul à quantitate noster DEus. 131. *Si phiala rotunda, æquabilis liquore qui postea densaretur plena esset humore denfato non dissiliret in partes infinitas.* Quia introrsum rumpi deberet, at versus eam partem obsistentibus sibi mutuò partibus non posset rumpi. Itaq; potiùs nō progrederetur rarefactio. Similiter ignis in cētro universi posit' non per omnes se lineas sursum evibraret, sed solùm per quatuor erumperet, ut dicitur 2. Cœli tt. 95. Quod Deo si materialis esset, applicandum est. 132. Quia *infinitum in potentia est permixtum ex actu & potentia*, talis itaque Deus non potest esse qui est actus purissimus. Infinitum enim in potentia tendit in infinitum, ut hoc modo reducatur in actum semper ulterius tendendo. 133 *Inter finitum & infinitum est proportio Physica.* Physica proportio consistit in habitudine seu ordine, cum scilicet una res habeat convenientiam cum altera in ordine ad aliquem effectum, atque adeò secundùm illam convenientiam dicit habitudinem ad rem aliam, quo pacto se habent materia & forma, potentia & objectum in ordine ad actum, & ta-

lis est inter intellectum & Deum ad efficiendam illius visionem. Proinde intellectus capax est videndi Deum. 134. *Infiniti cognitione non exhauritur intellectus.* Quia actus exhaurit objectum, non è contra, actus enim intra se quodammodo recipit objectum. Deus autem seipsum exhaurit, cùm sit ipse sui objectum. 135. *Infinitum actu creatum cognoscitur à Deo instar Chimæræ,* quia est objectum implicatorium. Implicat enim illud existere, ut non semel ostensum & docet S. Th. quodlib. 12. a. 2. Scotus in 2. d. 1. q. 13. & S. Th. dat rationem. Quia est quid indeterminatum non habens partem ultimam. 136. *Infinitum Syncathegorematicum à nobis cognosci potest,* v. g. cogitationes Angelorum per æternitatem futuræ, sed non individuo, in hoc enim simultatem non habent, verùm in ratione generis aut speciei, in qua ratione sunt simul. A DEO verò cognoscuntur ob ejus infinitatem in intelligendo, ita clarè ut cognoscantur in individuo, sed finitæ in infinitum, ita ut nullum sit assignabile quod clarè non cognoscatur, nullum tamen sit ultimum quod cognoscatur. Quia tendunt in infinitum absque termino. 137. *Cognitio quæ infinitum actu clarè cognosceret, in nulla specie esset,* quia cognitio speciem sumit ab objecto, atqui rationem specificam non potest sumere ex objecto creato, infinito & partibus constante, v.g. ex tota collectione possibilium, quia in illa collectione sicut non est aliquis gradus perfectionis essentialis, eò quòd nulla res sit ita perfecta, quin sit possibilis alia perfectior essentiali-

ter, ita nullus est determinatus gradus intelligibilis à quo posset sumi aliqua perfectio determinata cognitionis. Increata autem cognitio nec speciem nec individuationem sumit per habitudinem ad objectum, sed ex se & independenter ab his objectis habet determinatam perfectionem essentialem & individualem. DEus tamen licet sit infinitus & indeterminatus in essentia potest specificare actum nostrum, quia est aliter indeterminatus quàm collectio omnium possibilium. Est enim indeterminat9 indeterminatione opposità finitati. Collectio autem illa est indeterminata indeterminatione oppositâ certitudini, quia est quædam confusio. DEus ergo est infinitus certus tamen, quia est numero unus, at illa collectio est infinita cum confusione & incertitudine. His ita propositis subjungo illud Aug. lib. 1. de Trinit. *Quisquis ergo hæc audit, vel legit: ubi pariter certus est, pergat mecum: ubi pariter hæsitat, quærat mecum: ubi errorem suum cognoscit, redeat ad me: ubi meum, revocet me. Ita ingrediamur simul charitatis viam, tendentes ad eum, de quo scriptum est. Quærite faciem ejus semper.*

XXV. De Ente rationis.

SI quæras An quivis Rusticus lupum ferreum possit facere? Resp. Imò pluries faciunt quo qui rudiores, quia formant *Entia rationis*. Quæ tàm sunt entia quàm lup9 ferreus est lup9. Ens rationis enim vocamus illud ex Comment. Et communi definitione, *quòd solùm objectivum esse in intellectu habet*. quale esse habet *Alter DEus*, & omnia impossibi-

lia apprehensa in modum possibilium: *Ut ergo non est verum ens*, ita neque cognoscibilitatem, neque species habet quæ moveant intellectum, sed alienis occasionaliter indutum terminat actus nostros dum ab ijs efficitur ut objectum practicum & naturâ ipsis actibus posteriùs. Ens istud *involvit cognitionem* in obliquo (sicut Creatura DEum) ut causam effectricem, quæ est ipsum cognosci Entis extrinsecum; nam intrinsecum nullum habet, quia hoc est ipsa cognoscibilitas, quæ nulla est in hoc ente vera. Tale ens agnoscit S. Thomas opusc. 42. cap. 1. & vocat *Fictum*, & 5. Metaph. lect. 9. *Ens in Anima*, & opponit enti reali, seu extra animam. Vocat etiam ibidem, *Ens tantùm in mente*, atque ita describit. *Aliquid quod in se non est ens, intellectus considerat ut quoddam ens*. Datur itaque præter actum etiam objectum fictum, quia omnis actus objectum habet, cùm sit essentialiter alicujus repræsentativus & quidem actus tale objectum habet quale repræsentat: & ut voluntas ad falsum bonum, ita intellectus ad falsum ens extendere se potest. Ita cùm sit actus quo dico. *Deus alter implicat* debet objectum existere saltem ficto modo cui identificetur implicantia in prædicato importata. Simile est objectum cùm dico *Hircocervus*; nam tales partes hirci apprehendo, quæ sint simul cervi, & hoc objectum fundat contradictionem. nam cap. de oppositione dixit Aristot. *Propositiones contradictoriæ non differunt ex objecto*, quod objectum in his Propositionibus. *Homo est leo*, Homo *non est leo*, est *identitas*, illa enim negatur. Non enim negatur

gatur homo, aut leo, sed negatur homo esse leo. Neque negatur actus hominem, aut leonem repræsentans, sed identitas quæ est denominata ac repræsentata per illud judicium atque verè intercederet inter hominem & leonem. Nam potest noster actus etiam impossibilia per alienas species exprimere, sicuti hic exprimit per species identitatis alicujus veræ, in quo tamen necessariò intervenit aliqua confusio, nam simul & leonem & hominem ut dico distincta repræsentat, non enim facit identicam propositionem, & rursus ut non distincta apprehendit. At verò nullus actus *intellectus*, clarè cognitas *contradictorias* potest componere, in quo sensu dixit S. Thomas 1. p. q. 25. a. 3. in c. *Id quod contradictionem implicat, verbum esse non potest, quia nullus intellectus illud potest concipere*, & 1. contra Gentes cap. 84. *Quæ sunt impossibilia non cadunt in intellectum.* Potest tamen si confusè cognoscat, in causa, quasi tantùm in radice. Ut cùm dicit *Hircocervus non datur* ubi in subjecto dicebat dari simul & non dari in prædicato tantùm non dari. Ita ergo semper *in fabrica Entis Rationis intervenit confusio aut error, & impropriæ species*, ac proinde à solo fallibili & defectuoso *intellectu* formari potest, *qualis est noster* aut etiam *Angelicus*, non autem *Divinus*.

Jam verò sicut reale ens dicit veram non repugnantiam ad existendum, sic istud fictam, & debet apprehendi in modum Entis cum fictione saltem implicita. Denominatio Entis illi competit eo modo, quo aliqui negationes appellant negativa Entia. Et sicut ex animali & rationali consurgit

una

una essentia, ita ut partes solùm penes connotata distinguamus: ita in Hircocervo identitas oritur, virtute nostri actûs, ita ut ex parte objecti censeatur, partium nulla esse distinctio: Proinde cum in *materia impossibili* formatur *propositio: Homo est lapis*, ei contradictoria. *Homo non est lapis*, est de eodem subjecto & sensum istum reddit. *Homo habet identitatem cum lapide. Homo non habet &c.* Hæc identitas est prædicatum formale importatum per copulam *est*, ita cùm blasphemus evomit. *Deus est injustus*, attribuit verò Deo identitatem implicatoriam, quâ illum identificat cum injustitia per actum judicij non solius apprehensionis, uti illi faciunt, qui hunc actum audiunt cum execratione. *Voluntas, Sensus*, nequeunt dare esse objectivum, atque ideò ens rationis facere *non possunt*. Uti & *Imaginatio*, quia ad sola possibilia pertingunt, & essentias non attingunt. *Intellectus* per omnes suas operationes facere potest, ens istud, & quidem hac methodo. Recipit species ab objectis realibus, hirco & cervo: recipit etiam à duabus realibus contradictoriis. Hircus est cervus, Hircus non est cervus, licet priorem non in modum Entis apprehendat. Recipit etiam ab aliqua identitate reali, v. g. ab illa quæ est inter animal & rationale. Tandem utramque confundit in unum complexum, & hoc per modum entis apprehendit. Quod cum videt Deus ab actu nostro fieri, non cognoscit ut ens, sed cognoscit nostrum actum applicantem duobus realibus extremis, hirco scilicet & cervo identitatem, realem propter quam etiam illa efficit impossibilia

cùm

cùm illa identitas eis nullatenus conveniat. Nam dum facit noster intellectus Ens rationis etiam actu vero, ut cùm dicit, non dari Hircocervum, in subjecto implicitè falsitatem committit apprehendendo hircocervum ac si daretur. Deus itaque videt hanc meam falsitatem similem illi quâ dico. Hìc esse Petrum ubi defactò non est, cum hac differentia, quòd sit possibile hìc Petrum esse: Impossibile verò Hircum esse cervum. Et sicut in illius actus mei cognitione non tenetur sibi repræsentare Petrum hic esse cum sciat omninò id falsum esse. Ita neque in isto debet habere aliquid ex parte objecti, cùm nihil affirmet impossibile uti ego affirmo, & hoc modo cognoscit ens rationis. Nam ut S. Th. ubi agit de Scientia Dei, art. 9. in c. *Quæcunque possunt per creaturam fieri aut cogitari, omnia cognoscit* DEUS. Si verò nullo alio intellectu cogitante hos actus habet. *Deus alter implicat. Equus non est homo.* Habet quo ad rem, non quo ad modum, nostro similem & solùm dicit loco prioris. *Ego sum unicus. Equus est hinnibilis*, loco verò istius. *Equus est homo. Equus est, cui falso attribuitur humanitas.* Cum universale confundo, extrinseca est unitas ab actu confuso, ob quam denominant universale unum. In Ente rationis est objectiva & intrinseca, apprehenditur neque ille actus non repræsentat unitatem, sed facit formaliter, hic repræsentat identitatem. Actus iste. *Homo si esset equus hinniret.* Vi consequentiæ est verus. Vi consequentis est falsus, quia in illo statu implicatorio & hinniret & non hinniret. Impossibile autem ut unum contradictorium, non dico, judice-

judicetur sed apprehendatur ab intellectu res ut sunt, ut bonum conveniens alteri contradictorio ipsi extremè opposito. Unum enim contradictorium formaliter est non esse alterius, & ipsissima ejus destructio.

Trismegistus cap. 6. Asclepij.

Terræ dimensiones, quantitates, qualitates, maris profunda ignis vim, & horum omnium effectus naturam cognoscens, miretur, adoret, atque collaudet Artem Mentemque Divinam.

PARADOXA.

1. An quis unus possit esse absque alijs? *Solvitur ex* 2,
2. An detur aurum falsum? 3
3. An reperiatur homo malus? 4
4. An idem sit Petrus possibilis & existens? 6
5. An Petrus possit habere humanam naturam, nec esse Petrus? 7
6. An quemvis lapidem jactare possit Angelus? 8
7. An possit naturaliter Angelus cognoscere Petrum? 9
8. An Intelligentia si erret semel debeat semper? 12
9. An decipi possit ab homine Dæmon? 13
10. An dæmon possit calefacere frigentem lupum? 14
11. An prosit suffitus contra dæmones. 15
12. An possit dæmon suscitare muscam mortuam? 16
13. An loquendo Physicè, sanari per dæmonem sit utile? 17
14. An operâ dæmonis possit arbor loqui? 19
15. An possit Angelus scire quid cogitem? 20
16. An possibile sit dari Atheos? 21
17. An DEus fuerit heri & an sit cras futurus? 23
18. An quia DEus infinitus eo ipso bonus? 24
19. An facilè sit homini facere Anserem aureum? 27
20. An sciat aliquid qui nihil scit? *ibid.* 3
21. An mendacium necessariò sit verum?
22. An possit quis facere sphæram cum quatuor angulis? 27

METAPHYSICA
SEU
PHILOSOPHIA NATURAM MATERIALEM TRANSCENDENS.

Magis in particulari proposita.

TOtam hanc Philosophiam capitibus quaternis distinguemus. 1. Erit de eo quod rebus omnibus convenit, seu de Ente & proprietatibus ejus. 2. De Entis speciebus. 3. De Ente nobilissimo, quod est Deus. 4. De ente Spirituali scilicet de Angelis.

CAPUT I.
De Ente & proprietatibus ejus.

Etiam caput hoc bifariam secabimus. Sectio 1. erit de Ente & proprietatibus ejus. 2. De Ente generalissimè diviso, id est de substantia & accidente.

SE-

SECTIO I.

De Ente & proprietatibus ejus.

Cur non ens cognosci non potest?

Quia inprimis proprietas solius Entis est esse cognoscibile, deinde nihil cognoscimus, nisi per species, non entis verò species esse non possunt, itaque cùm dico, non Ens, solùm negationem aut privationem cognosco seu ens negando, sicuti dum cognosco tenebras cognosco lucem abesse, seu lucis desitionem aut interitum.

Cur bonum bono nunquam opponitur, malum autem malo aliquando?

Quia nec rectum recto unquam opponitur imò potiùs congruit, obliquum autem opponitur aliquando obliquo. Bona enim omnia sunt uniformia, nam omne bonum ex integra causa, ut dicitur 2. Ethic. Itaque bonum bono uniforme. Malum autem ex quovis defectu, defectus autem defectui potest opponi.

Cur in decem genera res omnes partiuntur Metaphysici.

Quia omne quod est aut per se *subsistit* aut in alio, si prius, est substantia; si posterius, est accidens, etiam sunt duo genera. Rursus substantiæ compositorum substantialium constant materiâ & formâ; & accidens aliquod connectitur cum materia & hoc est *quantitas*, aliud sequitur formam, & hoc est *qualitas*, hæc enim ad formam disponit. Et hæc sunt accidentia absoluta. Alia sunt in quantum

tum ſubſtantia habet ſe ad aliud reſpectivè, ad aliud verò ſe poteſt habere, vel quia id quo ſe habet ad aliud venit ab extrinſeco, vel non venit. Si non venit, tum vel ſubſtantia ſe tota cum alio comparatur, vel ſi quoad partes reſpectu totius eſt *ſitus*. Si in toto comparatur, & fit illa comparatio ratione formæ, tum fit prædicamentum *actionis*, ſi fiat comparatio ratione materiæ tum oritur *paſſio*. Si eſt comparatio ratione totius, tum fit ratione alicujus actûs, eſtque *relatio*. Si oritur comparatio ab extrinſeco reſpectu ſubjecti, illud extrinſecum ſi eſt tantum adjacens tunc eſt *ubi*. Si extrinſecum & adjacens & applicatum cum motu, tum fit *quando*. Si adjacens applicatum non involvens motum fit *habitus*.

SECTIO II.

De Entis altisſimis ſpeciebus.

Sunt verò duæ ſpecies, ſcilicet ſubſtantia & accidens, itaque ſub duas ſubſectiones reponentur. Et ſic erunt tres Subſectiones: accidens quidem eſt aliud reſpectivum, aliud abſolutum, addemus de ſubſiſtentia quartam.

SUBSECTIO I.

De Subſtantia.

Cur Subſtantia non habet contrarium?

Quia contraria ſunt quæ in eodem ſubjecto recipi non poſſunt, & ne ſint ſimul ſe ab illo expellunt; Subſtantia verò cum non ſit in ſubjecto, non poteſt cum alia ſubſtantia ratione ſubjecti opponi. Jam verò formæ materiales etiam ſi dicun-

tur esse in subjecto nondum possunt esse contrariæ, quia contraria sunt quæ sub eodem genere faciunt effectus formales contrarios, itaque si animæ bovis esset anima aliqua contraria deberet reddere bovem non sentientem non viventem, atque adeò non esset anima. Vel si esset, adhuc non per seipsam expelleret aliam formam, sed solùm dispositiones illius destruendo.

SUBSECTIO II.
De Accidente.

Cur quædam accidentia nullo sensu possumus attingere?

Talia sunt vis tractiva in magnete, qualitas formatrix auri &c. Hæc accidentia non oriuntur ex elementorum mixtura ex qua nos orimur, ideoque sunt etiam diversi ordinis cum nostris sensibus, qui ut sunt ipsi ex elementis temperati, ita ea sola percipiunt, quæ eorum temperiei sunt adversa aut aliquo modo contraria, talia verò sola sunt elementaria, lux etiam ab elementis procedit, nam ignis est effectus. Ideò ista percipitur.

Cur non potest esse vivens materiale habens animam intellectivam, carens verò sensibus?

In tali vivente nec anima prodesset corpori, nec corpus animæ, adeòque gratis unirentur: anima enim habet corpus ut ejus sensibus utatur: corpus etiam habet animam ut illud anima medijs sensibus conservet.

Cur nullum animal esse potest quod corpus habeat ex uno elemento?

Quia omne animal habet saltem tactum, qui cùm in temperamento consistat non potest in unico esse elemento.

Cur anima nostra attingit aliquid ultra sensum, bruti non attingit?

Anima bruti ita cum materia connectitur sicut sigillum impressum cum cera, & nihil nisi cum materia agere potest: at anima nostra est per modum Angeli cujusdam liberi à materia cum illa tamen hominem constituentis, ideò aliquid ampliùs attingere potest.

SUBSECTIO III.
De Quantitate.

Cur Oratio est species quantitatis?

Quia omne quod mensurari potest aliquâ mensurâ extensâ est quantitas, oratio verò mensurari potest, nam habet voces alias breves, alias longas. Est verò discreta, quia vox post vocem profertur, syllaba post syllabam, & quævis per se in suo esse constituitur.

Cur numerus sit quid unum cùm sint partes ejus discretæ?

Unitur per aggregationem & ordinem. Nam ut dicitur 5. Metaph. c. 15. *Decem non est tria & septem, aut bis quinque, aut octo & duo.* Formam autem

aggregationis terminat ultima unitas numeri aggregati, quæ est illius complementum & ad quam totus ordinatur. Idem est de oratione.

Cur Tempus est quantitas?

Quia extensionem habet ratione motûs à quo causatur, motus autem extenditur inter terminum, à quo & ad quem.

Cur Numerus constat ex indivisibilibus, linea non potest constare ex indivisibilibus?

Quia numerus non est continua quantitas, nec fit unum nisi per aggregationem, at linea est unum continuum, continuum verò non potest ex indivisibilibus componi, ut dicitur 6. Phyl. com. 1.

Cur quædam qualitates non admittant majus & minus?

Ejusmodi sunt, veritas, affirmatio, negatio, Homo innocens, Italus, Gallus, excommunicatus, irregularis. &c. Dicimus enim qualis est propositio, vera est, qualis homo, innocens, &c. Idcircò sunt qualitates, tamen non intenduntur. Quia quædam harum consistunt in negatione, ut innocens, excommunicatus, id est carens communione, quædam in loco quasi indivisibili, ut Italus, &c.

Cur qualitas definitur esse, secundùm quam quales dicimus, & non secundùm quam aliquid quale dicitur?

Quia solus homo susceptivus omnium qualitatum, ut habituum &c. Ideò per ordinem ad solum hominem qualitas definitur.

Cur habitus & dispositio licet penes minus & majus differant solùm, duobus tamen nominibus exprimuntur?

Quia in accidentibus non solùm quia sunt plura denominationes fiunt plures & diversæ, sed etiam ab eo, quòd diverso modo existant in subjecto.

Cur colores dicuntur passibiles qualitates?

Eo modo dicuntur quo aliæ qualitates à sensibus perceptibiles, non quia ipsæ patiuntur aliquid, sed quia sensus dum illas percipit ab illis, aliquo modo patitur.

Cur figura distingvitur à quantitate?

Quia figura est qualitas, qualitas verò à quantitate distingvitur. Neque est quid per rationem distinctum, quia quævis figura aliter sensum nostrum immutat dum ab eo percipitur. Unde figura à Mathematicis consideratur non ut quantitas, sed ut passio quantitatis. Idem de raritate, densitate, lenitate, asperitate, quæ sunt qualitates sensum immutantes consequentes ad variam materiæ dispositionem & ideò numerantur inter species qualitatis.

Cur calor ab igne non possit abesse licet sit accidens?

Calor non qualecunque est ignis accidens, sed est proprium naturale quod abesse non potest, nisi per miraculum, & hoc quidem de radicali calore. Nam de formali proxime dicetur.

Cur ab aqua posſit abeſſe frigiditas, licet ſit ejus propria, idem de terra?

Quia terra & aqua ſunt denſa Elementa & non ita profundè contrarium alterans recipiunt, ut amittant formam ſubſtantialem, ideò ſufficit ut aqua & terra habeat radicale frigus per quod ſe reducere poſſint à calore: at verò ignis & aër cùm ſint Elementa rara, ſi formalis calor abeſſet, denſarentur, ac jam eſſe quæ ſunt detinerent.

Cur virtus eſt contraria duobus vitiis & illi quod per exceſſum & illi quod per defectum, cùm ſit in medio, contraria verò maximè diſtant?

Liberalitas enim opponitur & prodigalitati & avaritiæ, ſed non quia eſt medium reſpectu alterius, verùm cum ſingulis eſt in extremo & inter duo quibus maximè opponitur eſt media.

Cur motus non ponitur in prædicamentis ſed in poſtprædicamentis?

Quia non eſt ens actu, ſed partim actu partim potentiâ, in prædicamentis verò ponuntur ſola quæ totum eſſe habent actu: propter hoc neque ponitur tempus, ſed quando, quando enim non eſt tempus, ſed id quod ex adjacentia cum tempore relinquitur, nam heſternum tempus, non eſt, tamen manet quãdo cum illo. Nam ut dicitur 4. Phyſ. tt. 115. *In tempore eſſe, eſt quâdam parte temporis menſurari*: Ex comparatione itaque ad differentiam temporis relinquitur quando. Rurſus hoc magis patebit. Demus dari inſtantia realia in tempore, Inſtans præſens non erit tempus, ſicut unitas non

est numerus, esse autem hoc instanti dicit quando. Et hoc quando non in tempore subjectatur, sed in re quæ à tempore denominatur. Illa enim res incipit & desinit.

Cur quantitas non suscipit magis & minus, id est non intenditur?

Quia remissio fit vel quia contrarij est aliquid admixtum, vel quia contrarium aliquas partes abstulit, sed quantitati nihil est contrarium, itaque remitti non potest, nihil etiam intenditur nisi à suo simili quod suo contrario sit contrarium, atqui quantitas nihil habet contrarium, itaque nec simile. Simile enim est quod in qualitate est unum, sed non idem.

Cur circulus angulo est contrarius, etsi videantur esse quantitates?

Circulus ab angulo maximè distat. Itaque illi est contrarius, verùm neque circulus neque angulus sunt quantitas, sed modi seu figuræ quantitatis; ac proinde qualitates, & ideò in illis invenitur magis ac minus.

Cur solius substantiæ proprium est suscipere contraria, cùm etiam id quantitati conveniat?

Quantitati hoc nullo modò convenit cum non eadem numero suscipit in se contraria, alia enim linea circularis, alia angularis, idem de numero pari & impari.

Cur dicitur unum uni contrarium, cùm sit pluribus contrarium.

Certè vitæ non sola mors contraria videtur, sed etiam ustio, putrefactio, morbi vulnera. Nihilominus unum uni contrarium secundum eandem rationem, licet secundum quid, plura possint esse contraria, ita vitæ sola mors, simpliciter opponitur, morbi autem & alia mala enumerata opponuntur secundum quid

SUBSECTIO. De Relatione.

Etiamsi in Logicæ compendio de relationibus egerimus, huc tamen quæsita particulariora reposuimus, quia acturi sumus de DEO, circa quem nonnulla per relationem explicabimus, quæ lumen ex quæsitis de relatione sunt habitura.

Cur relatio non est in duobus subjectis cùm sit in utroq; termino?

Quia in uno est ut in subjecto, in altero ut in termino ad quem procedit.

Cur non eadem relatio Patris ad filium & è contra, cùm idem sit iter Thebis Athenas & è contra ut dixit Aristot.

Quia solùm ista comparatio viæ cum relatione similitudinem habet quoad terminos, non autem quoad medium relatio enim non extenditur ut via.

Cur scientia est quid relativum, Philosophia non est relativum?

Quia

Quia scientia est genus, Philosophia est species, multa verò genera sunt relativa, quorum species non sunt relativæ, ita sensibile est relativum, color non est relativum.

Cur relationes in rebus agnoscimus?

Quia non tantum res existunt absolutè, sed etiam est in rebus ordo inter se, & proportio, quæ constituit pulchritudinem & bonitatem respectivam, & hic ordo sunt relationes, ut patet in exercitu, in quo non solùm est cumulus hominum sed etiam cum ordine mutuo ad se & ad ducem.

Cur 5. Metaph. comm. 20. dicitur scientia non est scientis sed scibilis?

Quia ibi scientiam sumit relativè, relatio autem non tam infert conceptum essendi in aliquo, quàm esse ad aliquid, quod extra est.

Cur relationes quæ consequuntur quantitatem sunt mutuæ?

Quia illæ sunt mutuæ relationes, in quarum utroque termino est eadem ratio ordinis, at verò in quantis est eadem ratio fundandi scilicet quantitas considerata relativè, itaque mutuò referuntur.

Cur tam causa ad effectum, quàm effectus ad causam refertur?

Quia tam causa dat effectui perfectionem, quàm effectus illam recipit, ideò reperitur in utroque ratio fundandi relationem.

Cur inter causam & actionem non sit relatio realis?

Quia ibi tantùm est relatio realis ubi est realis ordo, at verò inter actionem & causam non est talis ordo. Quia ipsa actio est ordo. Eadem ratio est cur inter fundamentum & relationem non sit relatio.

Cur scientia refertur ad scitum, & non scitum ad scientiam?

Quia per scientiam refert se sciens ad objectum: at verò scitum non recipit illam in se scientiam, ac proinde eodem se modo habet ac si non sciretur, similis ratio de sensu & sensibili. Item de homine & columna, nam homo ad columnam est dexter, vel sinister ratione virtutis suæ motivæ, at in columna nihil est ejusmodi, idcircò non refertur columna ad hominem. Et è contra imago Petri dicet relationem ad Petrum, non verò Petrus ad imaginem, ob causam contrariam.

Cur DEI scientia non refertur ad res scitas, sed è contra, res scitæ ad scientiam Dei?

Quia ideò nostra scientia refertur ad res scitas, quia res sunt & causa & mensura nostræ scientiæ. At verò contrarium est in Deo. Quia scientia Dei est causa & mensura rerum. Tales enim sunt res secundùm suam veritatem, quales Deus suâ scientiâ eas ordinavit, & ita res realiter ad scientiam Dei referuntur.

SE-

SECTIO
De Subsistentia.

Cur aliud est Petrus aliud est natura Petri, &c.

Quia possumus dicere Petrus habet naturam, non autem possumus dicere, natura Petri habet naturam. Itaque cum dicimus *Petrus*, aliquid cognitioni nostræ objicitur, quod non occurrit cum dicitur, *Natura*, hoc quod in Petro est, & non est in Petri natura vocamus subsistentiam, huic tribuimus effectum hunc, quòd scilicet faciat in se & non in alio naturam subsistere eamque reddat incommunicabilem alteri supposito, quod suppositum si sit rationale, dicetur persona, si rationale solummodò suppositum vocatur.

SECTIO.
De Ente nobilissimo.

Sectio præsens habebit Subsectiones decem. Quarum 1. De Dei Natura & Existentia. 2. De Intellectu. 3. De Voluntate. 4. De Pluralitate personarum in DEO. 5. De Attributis Dei. 6. Specialiter de Potentia Dei. 7. De Providentia. 8. De Dei Apparitionibus. 9. De Dei Relationibus. 10. De Dei Æternitate.

SUBSECTIO I.
De DEI Natura & Existentia.

Cur

Cur dicitur, quòd lumine naturæ cognosci potest esse DEum?

Quia in quo omnes homines conveniunt in eo non errant, atqui nulla ratio est tam barbara quæ aliquid divinum non agnoscat, licet in eo multi errant, quod putant esse multiplex, quod materiale, saxum, lucidum, &c. Præterea viso ordine rerum hujus mundi, quòd certis temporibus, dies & nox, æstas & hyems, &c, redeant. Cuique occurret aliquam esse mentem, quæ hæc omnia regat. (Nam casu nihil fit ordinatè.) Hæc verò Deus est.

Cur lumine naturæ cognosci possit esse unum DEum?

Quia si multi essent Dij, necesse est multa inconvenientia sequi. Nam sint duo Dij. Vel unus habet id totum quod alter itaque nec ab illo distingvitur. Si non habet, non est Deus. Item, vel est unus Beatus ex visione alterius, vel non. Si est, tum non est Deus, quia non habet in se suam beatitudinem: si non est, tum alter non reddit Beatum, proinde nec est suprema veritas, nam hujus est proprium reddere intellectum cognoscentis Beatum. Item vel erunt pares libertate volendi, & viribus, vel non. Si sic itaque, neuter necessitatibus ad idem volendum, poterit ergo alter contra alterum aliquid velle & facere, & alter non impedire, & ita inducetur discordia.

Cur Deum esse sit per se notum?

Quia Deus ut in hac voce importatur est Ens necessariò existens, itaque qui hanc vocem benè appre-

apprehendit Deum esse cognoscit, itaque ex termino hoc benè cognito noscitur DEum esse, seu quod idem est, est per se notum. Illi verò non benè hunc terminum penetrant, qui dubitant de existentia Dei. *Per se notum est illud*, quòd intellectis solummodò terminis quid significent, cognoscitur; taliter verò Deus cognoscitur, quod hæc ratio probat. Esse veritatem est falsum aut verum. Si falsum est esse veritatem, jam hoc est ipsum verum. Si verum est esse veritatem, jam ergo veritatem esse per se notum est. Sed Deus est veritas Joan. 4. Itaque Deum esse per se notum est.

Cur Deo non sit opus nomine proprio?

Quidquid Dei nominum damus, id ab attributis aut effectibus desumimus. Quod verò illi sit nomen proprium, nullatenus invenimus, sed neque nomine eget, quia est unicus. Nomina verò imponuntur ubi sunt plures ut per ea distingvantur. Ita nemo Soli nomen quærit, nemo Lunæ, terræ, aut alijs quæ sunt singula. Præterea infinitus cùm sit Deus, quàm comprehendi tàm nomine explicari non potest, & certè nomen Jehova quod DEO attribuunt quidam literis quatuor in Scriptura S. relictis vocales supponendo, id contra totam antiquitatem imò Hebræam Grammaticam, ut ostendit Bellarminus, audent. Certè nullus Hebræorum scivit hisce literis vocales apponere, omnes in eo mysterium suspexêre & inexprimile esse voluerunt.

Cur Deus est indivisibilis?

Quia si est divisibilis constaret partibus; si par-

sibus

tibus constaret, una pars non esset alia, ergo nulla pars esset perfecta. Vel si una habet quod omnes aliæ, illa habet totum & sola est quælibet Deus, atque ita plures sunt Dij.

Cur Deus sit actus purus?

Quia est ens simplicissimum & ad nihil in potentia, passiva scilicet, sed ipse est sua intellectio, volitio, sapientia &c. Est verò Deus potentia activa, nam est omnipotens, sed hoc actui puro non obest.

Cur Deitas sit Deus cùm humanitas non sit homo realiter?

Quia Deus ens simplicissimum neque in illo Deitas realiter distingvitur à personalitate, uti in homine distinguitur humanitas.

Cur Deus necessariò existit?

Quia est optimus, optimum autem non debet esse impossibile, quia tale non potest esse optimum, imò est pessimum. Si autem est possibile, defactò est, quia si aliquando posset non esse, jam non esset optimum, haberet enim defectum hunc. Præterea, perfectio est semper esse, itaque Deo competit. Nam melius est esse quâm nō esse simpliciter, & Deo nihil melius cogitari potest, si autem posset, non esse, melior illo cogitaretur, qui non posset non esse. Præterea hoc prædicatum est in subjecto scilicet *Deus* includitur.

Cur aliqui dubitant De Deo?

Non dubitant quòd DEus sit quia hoc per se notum, sed

ſed dubitant quòd talis ſit, id eſt juſtus, Dominus & providens, vel ſolùm oretenùs dubitant.

Cur omnes in Deo perfectiones ſibi identificantur?

Quæ ſunt eadem uni tertio, ſunt eadem inter ſe. Perfectiones verò Dei ſunt idem cum Deo, itaque ſunt idem ſecum, & nulla relatio producti ac producentis impedit identitatem, quæ ſola impedire poſſet.

Cur Philoſophi tanto labore inquiſiverunt DEI exiſtentiam cùm Deum eſſe ſit per ſe notum?

Progresſi enim ſunt per ſubordinationem rerum naturalium ut Deum cognoſcerent 7. Phys. de quo ad Rom. 1. quæ verò per alia cognoscuntur non ſunt per ſe nota. Sed aliud eſt quærere qualis ſit Deus, aliud quòd exiſtat. Prius quæſierunt modo prædicto, dum enim cognoverunt Deum eſſe cauſam cognoverunt, qualis eſſet Deus, ſeu ejus attributa, ſicut enim ſummè potentem ita cauſam eſſe eſt attributum. Deum autem eſſe per ſe notum erat. Præterea in per ſe notis eſt quidam ordo. Alia per ſe nota ſunt etiam rudibus nota, alia vero ſolis ſapientibus. Et quæ magis ſunt universalia, sunt magis nota. Et quæ fundantur ſuper magis universalia sunt magis nota. Sicut quia ſuper ens fundatur eſſe aut non eſſe, eſt maximè notum per ſe illud. Omne eſt aut non. Et ſic deſcendendo per gradus ſeu arborem Porphyrianam. Et hoc modo etiam de Moralibus ſentiendum.

SUB-

SUBSECTIO II.
De Intellectu Divino.

Cur Deus omnia novit ab æterno?

Quia si non cognosceret ab æterno non cognosceret unquam, nam cognitio illius est ejus essentia, quam semper ab æterno habet immutabilem, unde si quid de novo cognosceret, de novo acquireret essentiam, quod fieri non potest.

Cur Deus sicut scit omnia, non item amet omnia?

Sicut Deus scit omnia per assensum vel dissensum, ita omnia voluntatis actu attingit, non autem omnia amando, sed aliqua etiam odiendo, ex quo patet responsio.

Cur Deus & quomodo cognoscit ea quæ nec sunt nec erunt?

Quia ad plenitudinem sapientiæ spectat etiam hæc cognoscere. Nam si Deum interrogarem quid mihi accidisset, si eo tempore fuissem in Polonia, quo fui Romæ, si diceret se nescire, certè esset dedecus. Cognoscit autem ea in sua essentia, quæ est imago omnium, quâ ratione etiam omnia futura videt.

Cur tam futura, quàm præterita divino intellectui sunt præsentia?

Omne præteritum erat aliquando præsens, item omne futurum erit præsens, & respectu nostri &c. futurum aut præteritum, quia tunc nos non sumus cùm & quando fuit & erit præsens,

sed

sed Deus est ob suam æternitatem, quæ tota est semper, præsens cuique, ideò omnia illi sunt præsentia, & solùm respectu nostri cognoscit ea præterita aut futura, hoc est respectu hujus temporis, in quo nos sumus. Sicut Alexander mihi præteritus est, præsens autem fuit Dario, cum quo simul fuit, ut sicut JuliusCæsar futurus erat Alexand. præsens verò Pompejo cum quo eodem tempore fuit. Quia istæ differentiæ temporis solùm respiciunt eos qui etiam in differentijs temporis existunt, idque diversis. Deus autem in nullo est differentia temporis sed semper est, quia per æternitatẽ est, quæ est tota simul, itaq: respectu ejus nihil præteritum, nihil futurũ. Unde res alijs præteritæ & futuræ, sed non Deo. Præterea quia fortè hoc modo scientia Dei se habet respectu contingentium sicuti albedo v.g. in pariete, quæ si inveniat alium parietem album, priorem parietem facit similem: si alterum parietem inveniat nigrum, priorem facit esse dissimilem: ita fortè scientia Dei si inveniat mundum futurum, denotabit Deum scientem fore mundum: si inveniat non futurum mundum, eadem scientia nihil in se mutata denominabit Deum scientem non futurum mundum: & contradictorium effectum eadem forma adæquatè sumpta efficiet, sumpta scilicet cum termino, quem respicit, & qui terminus mutatur,

Cur in Deo cognitiones non multiplicantur juxta multiplicitatem objectorum sicut fit in nobis?

Quia DEus non sumit ab objectis species uti nos sumimus, in nobis verò species quælibet seorsim movet intellectum & sic fiunt plures motiones, atque plures intellectiones, Dei autem species est ejus essentia.

Cur Deus ab objectis non accipiat species?

Quia esset receptivus illarum, atque adeò in potentia, & per illas perfectibilis, & cum illis faciens compositionem, quæ omnia absurda.

Cur Dei cognitio nec præcedit nec sequitur objecta creata?

Quia Dei cognitio est Deus, atque ita est in æternitate, quæ est semper tota simul. Res verò creatæ sunt in tempore, in quo datur præcessio, & consecutio, quæ non est in æternitate.

Cur Deus per seipsum res cognoscit?

Cum res erat facturus habuit in mente exemplar earum & pro eo non aliunde species assumpsit, ita neque ut eas cognoscat, speciebus indigebit.

Cur Deus non omni modo res intelligit v. g. non experimentaliter?

Quia hoc diceret imperfectionem, nam experiri, novitatem dicit, estque dedecens. Per discursum etiam intelligere, est ex notioribus ad ignota progredi, quod præterquam connotet successionem actuum, etiam dicit aliqua ignorari.

Cur intellectio Dei non possit ab intellectu ejus esse distincta realiter?

Respondet Aristot. 12. Metaph. cap. 9. text. 51.

Si

Si distingveretur intellectio à Dei substantia seu intellectu, intellectus non esset optimus, quia perficeretur ab intellectione.

Cur solus Deus se comprehendit?

Quia solus ita se cognoscit ut est cognoscibilis, ut scilicet ampliùs cognosci ab ullo non possit. Tanta enim virtus est cognoscitiva, quanta essentia, cùm utraque sit omninò eadem.

Cur Deus videat Paulum currentem cùm potuerit non videre, si Paulus non cucurrisset, nec tamen propterea novum actum elicit?

Quia licet in Deo denominationes absolutæ neq; accedant neq; recedant, respectivè tamen possunt accedere aut recedere, sic v. g. coëxistit viventi Petro pro tempore A, & eo mortuo in B, non coëxistit in tempore B, quia istæ denominationes sunt relationes accidentales, quæ pereunte termino pereunt, oriente oriuntur. In Deo verò sunt insuper Rationis.

Cur Deus omnia necessariò sciat?

Quia est ipsemet objectum omnia cognoscibilia perfectissimè repræsentans, & est sibi ipsi præsens intimè, & ipsa ejus essentia est cognitio, proinde semper actu necessariò cognoscit, itaque debet id cognoscere, quod cognoscere potest.

Cur Deus non egeat speciebus ad cognoscendum objectum?

Quia species requiruntur vel ut compleant intellectum in cognoscendo, Dei verò intellectus absq; specieb⁹ est in se completissimus; vel ut vicem ob-

jecti absentis gerant, Deo verò omnia sunt præsentia, cùm ipse sit omnium repræsentatio.

Cur solus Deus absolutè possit creaturam comprehendere?

Quia perfectissimè comprehendere est cognoscere non solùm juxta absoluta prædicata, sed etiam juxta relativa, at verò omnis creatura dicit relationem ad Deum, solus verò Deus seipsum cognoscit perfectissimè, itaque solus absolutè & perfectè creaturas comprehendit.

Cur Deus non componat prædicatum cum subjecto?

Quia prædicatum debet omninò aliter concipi quàm subjectum, alioqui esse propositio identica, atqui Deus non potest aliter concipere cùm omnia perfectissimè comprehendat.

Cur Deus etiam in seipsis creaturas cognoscit?

Quia etiam in seipsis sunt cognoscibiles, sunt enim entia vera, &c.

Cur scientia Dei est simplex?

Quia scientia Dei est essentia Dei, at verò Dei essentia est simplex, itaque & scientia.

Cur in Deo non datur simplex apprehensio?

Quia est actus imperfectus suspendit enim assensum.

Cur non detur in Deo secunda mentis operatio?

Quia

Quia hæc involvit divisionem aut compositionem, quæ duo repugnant simplicitati actuum divinorum, componit enim, aut dividit prædicatum à subjecto, quod in Deo fieri repugnat.

Cur in Deo non dentur termini vagi?

Quia inprimis non datur simplex apprehensio, deinde quia vaga propositio suspendit veritatem, quæ tum demum completur, quando objectum illius subsistit. Denique vagus terminus non fit sine actu confuso, quæ DEUM dedecent singula.

Cur eâdem cognitione DEUS cognoscit Petrum, quâ Paulum?

Quia cognitio Dei est essentia Dei, at verò in utroque casu est eadem essentia, quæ eminenter omnes cognitiones continet.

Cur scientia Dei dicitur Idea?

Quia scientia operis à se faciendi est imago, at verò Deus cognoscit id opus, quod est facturus, quocirca ejus scientia ejusmodi vocatur idea.

Cur scientia Dei est causa rerum?

Quia inprimis est idea rerum faciendarum, præterea non potest velle aliquid Deus facere nisi illud priùs cognoscat.

Cur in hac propositione non fit mutua prioritas?

Ideò Deus videt Petrum futurum, quia futurus est, & ideò Petrus futurus, quia Deus Petrum cognoscit futurum.

Quia cùm objectum præſupponatur ad ſcientiam, priùs Petrus eſt futurus, quàm à Deo cognoſcatur futurus : futurus inquam, ſi illum Deus futurum decreverit, unde ante decretum Dei non ſcitur abſolutè futurus: ideò verò Petrus futurus; quia Deus vult illum eſſe futurum quæ voluntas ejus à ſcientia posſibili, de Petro dirigitur, & cum ea in eſſe cauſæ Petri conſtituitur. Scientia autem posſibilium (non autem ſcientia viſionis, quia hæc ſupponit jam exiſtens objectum) eſt cauſa rerum & efficitur practica quando cum voluntate faciendi ſuum objectum conjungitur.

Cur ſcientia Dei non eſt cauſa futuri peccati Petri?

Quia ſolùm ſcientia eſt cauſa illius rei ad quam faciendam dirigit eum, qui rem facit, atqui Deus non facit peccatum Petri, itaque ſcientia de eo non dirigit Deum, ſed neque Petrum dirigit, quia Petrus ad faciendum ſcientiâ ſuâ non autem divinâ dirigitur.

Cur liberum eſt mihi ſcribere, ſiquidem Deus ab æterno vidit me hâc horâ ſcripturum?

Quia viſio Dei eſt meæ ſcriptioni extrinſeca & per accidens, ut perinde ſcripturus fuiſſem, etiamſi me Deus ſcripturum non vidiſſet, ſicut ſi me ſcribentem videat Petrus, licet videndo non fallatur, tamen me non cogit ad ſcribendum. Neque obeſt quòd ab æterno DEus viderit, nam vidit ut præſens, DEO enim nihil futurum, proinde ita ſe habet

bet æterna ejus scientia, ac si modo inciperet mea scriptione excitata, vel si præteritæ scriptionis recordaretur, quod solùm assumimus ad præsens punctum explicandum.

Cur futura conditionata in suo Decreto Deus videre non possit?

Quia vel est sermo de decreto generali, quo statuit concursum causis secundis se daturum ad agendum, & in isto decreto futura actio libera videri non potest, quia homo habendo concursum potest agere & non agere. Vel est sermo de decreto conditionato, quo Deus vellet efficaciter actionem illam si conditio poneretur, tale verò decretum nec in statu absoluto cùm lædat libertatem inveniri potest, quocirca neque in conditionato locum habet. Proinde ea in semetipsis cognoscit cum in semetipsis sint scibilia, & juxta esse objectivum Deo præsentia in suo tempore.

Cur DEUS si sciat aliquid conditionatè futurum illud non necessariò futurum esset, (loquimur hic ubique de conditione quæ non infert necessariò effectum)

Quia illa cognitio Dei, posterior illâ futurâ actione & est ad illam per accidens, ut licet non esset cognitio adhuc futura esset actio.

Cur scientia Dei conditionata cùm posterior sit actione meâ sub conditione futura, est tamen prior eâdem futurâ absolutè, cùm in utroque casu sit actio mea eadem, & scientia eadem?

Etiam in absoluto statu scientia illa non est prior actione quatenus à me actio procedit, sed solùm ratione auxilij divini ad actionem meam requisiti, id non ut simpliciter conferat, sed ut potius hoc quàm aliud conferat. Vel certè illa scientia est prior meâ actione in quantum actio mea non est objectum cognitionis, sed effectus scientiæ, quod fit cùm absolutè actio mea sit futura. Est verò in statu conditionato eadem scientia posterior meâ actione, sed in eo statu mea actio est purè objectum cognitum non autem faciendum: neque ideò in statu absoluto fiet mea actio, quia illam Deus in conditionato prævidit, sed quia ex prævisione formavit decretum absolutum de dando concursu, cum quo adhuc liberum est mihi agere.

Cur aliquando futura conditionata scire Deus non possit nisi decreto suo posito?

Quia aliquando nullo modo fuissent nisi decretum præcessisset, ita nisi Deus decrevisset cum hominibus concurrere nulla actio humana etiam sub conditione poni posset. Item aliquæ sunt conditiones, quæ nihil ex se connexionis habent cum effectu conditionato, sed tota connexio provenit à voluntate alicujus, qualis hæc est. Si Petrus hâc horâ

horâ comederit, dabo illi aureum nummũ. Itemq; illa, si mundum creavissem alium, hæc & hæc in illo decrevissem, ubi unum decretum de mundo condendo præmittitur alijs decretis, quæ mundum conditum fuissent secuta.

Cur scientia Dei de conditionatis, cùm sit posterior actione meâ sub conditione futura, est tamen prior eâdem futurâ absolutè, licet actio mea & scientia sit in utroque statu eadem?

Quia etiam in absoluto statu scientia illa non est prior actione, quatenùs à me actio procedit, sed prior solùm ad auxilium divinum ad meam actionem requisitum, idq; ut non simpliciter conferat illud Deus, sed ut hoc conferat & non aliud. Vel certè, illa scientia est prior meâ actione in quantùm actio mea non est objectum cognitionis sed effectus scientiæ, quod fit cùm absolutè futura est mea actio. Est verò respectu statûs conditionati eadem scientia posterior meâ actione, sed in eo statu mea actio est purè objectum cognitum, non autem faciendum. Neque ideò in statu absoluto fiet mea actio, quia illam Deus in conditionato prævidit, sed quia ex prævisione formavit decretum absolutum de dando concursu, cum quo adhuc liberum est mihi non agere.

Cur Deo memoria non attribuatur?

Quia illa sola memoriam habent quæ interdum cessant à cognitione cùm memoria sit principium repetendi ea, quæ quis semel percepit, at verò Deus

nunquam cessat à cognitione quam semel habuit, ideò neque potest præteritas cogitationes repetere: proinde memoriam non habet; nisi Metaphoricè.

Cur Deus futura conditionata non cognoscat in suo defectu decreto conditionato?

Sit v. g. hoc futurum. Si Petrus fuisset, in Sidone convertetur, quia jam deberet hoc modo poni conditionatum decretum. Si decrevero Petrum converti decernam Petrum converti, quod est ridiculum.

SUBSECTIO III.
De Voluntate divina.

Cur in Deo non possit dari pura omissio libera cùm detur in homine?

Quia actus in Deo non sunt distincti ab ipso Deo, ideò actus ejus non habent similitudinem cum exercitio voluntatis cicatæ, qui sunt ipsa ejus entitas, cùm à Dei voluntate non possit abesse ejus entitas, idcircò neque actus, qui est idem cum ipsa voluntate, atque adeò pura omissio esse non potest.

Cur Deus liber etsi malè agere non possit?

Non in eo præcipuè libertas consistit, quòd possit quis benè vel malè agere. Quia semper est voluntas determinata in bonum, ut etiam cùm fertur in malum sub ratione boni fertur: & inde est quod ferri in malum importat defectum, qui in Deo locum non habet, itaque in eo vera potiùs est libertas, quòd omnibus ad agendum necessa-

rijs

rijs positis possit agere, & non agere & hoc in Deo reperitur.

Cur Deus absolutè possit velle ut aliquid faciam liberè?

Quia facto hoc decreto v. g. volo ut Petrus oret, potest videre per scientiam conditionatorum in quibus circumstantijs Petrus infallibiliter quidem, liberè tamen oravisset, atq; has illi offerre.

Cur Deum dicere non sit necesse, si Petrum in his circumstantijs posuero volo ut hoc vel illud agat absolutè?

Quia similis Dei voluntas vel extendetur ad peccatum Petri v. g. volo ut Petrus peccet, vel non extendetur. Si extendetur magnum sequitur absurdum, quòd Deus scilicet velit peccatum. Vel non extendetur, tum verò si ad peccatum non est opus illo decreto, neque ad alios actus requiretur.

Cur quidquid Deus vult ab æterno vult?

Quia nova volitio mutationem illi afferet, præterea nova volitio esse in Deo non potest, nam volitio DEI est ipsa Dei essentia, quæ nova esse non potest.

Cur Deus non potest aliquid modo nolle postea velle?

Quia hoc arguit mutabilitatem, aut quod aliquid de novo agnoscat, quod antea ignorabat. Utrumque istorum est procul à Deo. Mutabilitas enim non est in æternis, uti etiã ignorantia Deum dedecet, æterna siquidem sunt simul tota, at verò quod mutatur aliquid illius nunc non est, & aliquid postea non erit.

Cur

Cur Deus necessariò summum bonum amat?

Quia cùm omittere actum voluntatis non possit, itaque necessariò amat aut odit, sed summum bonum necessariò odisse non potest, itaque necessariò amat.

Cur Deus gaudet de seipso?

Quia gaudium est de bono possesso, Deus autem, seipsum possidet summum bonum, quocirca & de seipso gaudet.

Cur Deus amat creaturas possibiles?

Quia cùm Deus comprehendat suam omnipotentiam, necessariò & terminos ejus omnes cognoscit, quorum maxima pars est creaturæ possibiles, quæ cùm sint aliquod bonum odio haberi non possunt, itaque amantur.

Cur Deus gaudet de creaturarum possibilitate necessariò?

Quia gaudet de sua omnipotentia, quæ nulla esset, si creaturæ essent impossibiles (vide hic quæ diximus cùm de relatione transcendentali ageremus) quocirca creaturarum possibilitas est bonum Dei.

Cur voluntas creata amare potest peccatum, increata non potest?

Voluntas creata non amaret peccatum nisi bonitas aliqua esset in peccato: si verò bonitas est, cur etiam increata voluntas illud amare non possit? non potest autem. Idque ideò, quia bonitate falsâ ducitur voluntas creata, quâ Deus non deluditur. Nam verum bonum omne omninò peccatum excludit. Si enim aliquid honesti boni contineret

jam non esset peccatum. Oblectabile in peccato est falsum bonum & quod Deum afficere non potest. Utile est propter aliud, at verò Deus infinita media honesta habet, per quæ quidvis obtinere potest non adhibendo peccatum, & ita nihil est in peccato quod placere possit Deo.

Cur Deus non possit aliquid modò nolle, postea velle?

Quia hoc arguit mutabilitatem: arguit & ignorantiam, quia taliter aliquid prius nescivisset quod modo scit, quæ est causa mutandi voluntatem: procedit etiam contra æternitatem, quia quod mutatur aliquid illius nunc non est, & aliquid postea non erit, æterna verò sunt simul tota.

Cur Deus non obligatur ad volendum optimum?

Propter optimum semper vult quia propter se vult. Sed optimum non potest velle inter creata, cùm nullum detur quod melius esse nō possit: quod si verò ad optimum necessitatus est, id quod fecit optimum est, ut eò melius implicet, imò nihil rogari possit, nec gratias meretur pro datis, quia ex necessitate faceret quod optimum. Quæ omnia sunt absurda.

Cur nullus in Deo actus indifferens possit inveniri?

Quia omnia propter altissimum finem operatur, qui est ipsemet Deus.

Cur Dei actus laudabiles sint cum sint necessariò boni?

Quia licet Deus actum vitiosum non possit facere, potuit tamen id nolle, quod defacto vult circa

nos, & ideò laudamus eum quòd v.g. nos esse voluit, cùm potuerit nos esse nolle.

Cur Deus nihil sperare possit?

Quia spes est circa arduum & absens, Deo autem nihil arduum aut absens, ideo spes in Deo locum non habet.

Cur Deus transit ex volente in nolentem sine sui mutatione?

Hoc est impossibile quod supponit quæstio, aliàs Deus mutaretur. Sed quod vult poterat nolle ab æterno, sine ulla tamen inceptione volitionis aut nolitionis, & cùm nulla esset inceptio, aut desitio, nulla etiam mutatio.

Cur in Deo eadem sit entitas nolitio eadem volitio?

Quia volitiones & nolitiones sunt ipsa essentia infinita quæ eminenter imò formaliter est nolitio & volitio licet non ejusdem & non eodem respectu.

Cur bonitas creata non possit comparari ad voluntatem divinam ut moveat ad motum?

Quia quod movet voluntatem per se est finis, media enim non movent nisi propter finem, at verò finis divinæ voluntatis non est creata, sed increata bonitas.

Cur eadem entitas Dei de facto sit volitio cùm potuerit esse nolitio?

Quia cùm Deus se ipso infinita & contraria faciat ipse sibi ad omnia instrumentum, id eâ entitate facit,

quod nos nolitione, & eâdem id agat, quod nos volitione, unde ex affectu denominatur nolitio aut volitio per proportionem ad nostram nolitionem & volitionem. Intrinsecè autem eadem est nolitio & volitio.

SUBSECTIO IV.

De pluralitate Personarum in Deo.

Materia præsens non nisi negativum ex Philosophia habet succursum, ostendere potest non repugnare rationi quidquid fides nostra de hoc mysterio asserit, probare autem irrefragabili argumento id ita esse non potest, juxta quos limites principiis Aristotelicis insistendo & nos procedemus, ut qualecunque subsidium contra Ethnicos ac mysteriorum impugnatorem afferamus veritatis, idque non intrando Theologiam, sed ea duntaxat prosequendo, quæ apud Platonicos & Aristotelem reperiuntur. Et nullam quæstionem ponimus quam non possit Ethnicus Philosophus Christiano proponere.

Cur homo ad generationem filij consortio eget conjugis non eget Deus?

Quia unus homo dat solùm partem substantiæ, atque imperfectam quam ex altero conjuge decisa, pars substantiæ perficit, Deus verò dat totam Filio, eamque perfectissimam substantiam.

Cur Dei Filius etsi producatur non prodijt de non esse ad esse?

Quia

Quia Patris intellectus divinus nunquam fuit in potentia, sed semper in actu, ideoque semper produxit, & nunquam incepit producere.

Cur non possit dici indigere Patre Verbum, cum ab eo producatur?

Quia est eadem cum Patre substantia, & nunquam Patre existente non fuit Filius.

Cur Patri Deo Filius est coævus?

Quia inprimis etiam ubi vera causa est & effectus possunt effectus cum causa simul esse, ut calor cum igne, lux cum sole, &c. multò magis ubi non est causatio sed tantùm originatio, in qua datur quidem esse, sed non est transitus de non esse ad esse. Deinde quia nunquam Pater fuit in potentia ad producendum Filium, sed semper in actu, alioqui mutatus fuisset de potentia in actum transeundo.

Cur Filius jam Verbum, jam Filius dicitur?

In quantum procedit à natura est Filius, in quantum ab intellectu, qui est ipsa natura, est Verbum, eadem verò utrobique persona.

Cur siquidem Pater est idem cum Deitate, Filius etiam idem cum Deitate non sint idem inter se juxta illud axioma. Quæ sunt eadem uni tertio sunt eadem inter se?

Quia ut Aristoteles lib. 3. Phys. illud axioma explicat. Illa duo cum tertio ita unum esse debent, ut neque ratione ab eo distingvantur, unde non valet hæc argumentatio. Actio est formaliter motus, Passio est formaliter motus, ergo idem sunt formaliter actio & passio. Deinde illud axioma locum

locum habet in ijs, quæ convertuntur invicem non autem in alijs. Unde non valet dicere. Homo est animal, bos est animal, ergo bos est homo. Sic ergo Pater & Filius eo modo quo sunt unum & idem cum essentia nempe unitate essentiæ, eodem modo sine ambiguitate & æquivocatione sunt unum & idem inter se quia in una essentia conveniunt, non autem in personis.

Cur Deus Pater dando naturam totam filio, ea ipse non caret?

Neque caret rebus quas ipse nobis donat. Quod Numenius S Philosophus illustrat apud Euseb. præparat. Evang. lib. 11. in hunc modum. *Divina dantur ab eo nec ab eo absunt, quale quid scientia est, quam qui accipit melior factus est, qui autem dedit: nihil amisit. Lucerna etiam ab alia lucerna sic accenditur.* Est verò differentia in Deo, quia sciens & lucerna dant aliud numero à se, Pater autem idem omninò dat Filio, quod ipse est.

Cur Filius potest dici primum principium cum ipse procedat à Patre?

Amitteret rationem primi principij per hoc quod producatur, si haberet distinctum esse à producente, tunc enim quia produceretur ut quid distinctum à Patre non esset primum principium sed Filius eandem habet naturam, quàm Pater, ideò est etiam primum principium.

Cur reliquæ duæ personæ non sunt superfluæ, cùm in prima sint omnes perfectiones quæcunq; sint in alijs?

Superfuitas ibi nulla ubi est unitas & solitudo, res itaque sive natura, quæ est in Filio & Spiritu S. non potest esse superflua cum non sint plures, sed una eadem quæ est in Patre. Unde superfluum esset, si essent tres res, essent enim tres Dij. Non est superfluum quòd sint tres personæ quia per hoc vitatur solitudo personæ & acquiritur amicitia, seu societas.

Cur Deus generat cùm sit incorruptibilis, Angeli verò cùm sint incorruptibiles non generant?

Deus ideò generat, quia est origo, fons, causa, omnis fæcunditatis, quod non habent Angeli. Causa verò debet suos effectus continere.

Cur non possint esse divinæ personæ infinitæ numero?

Quia inter personas divinas debet esse aliquis ordo ita ut aliqua sit prima, aliqua secunda &c. In infinito autem nihil potest esse primum, nihil secundum, nihil ultimum, alioqui infinitum esset clausum terminis primo & ultimo. Et cùm ordo in divinis non possit fundari in aliqua inæqualitate, quia non possunt esse Dij inæquales, ergo in æqualitate, & quidem æqualitas omni modo cum ordine non potest consistere nisi in processione unius ab alio. Debent ergo à se personæ procedere, & illa prima esse quæ à nulla procedit & aliæ procedunt ab illa, ultima vero erit, quæ ipsa procedit & ab illa non procedit alia. Quod non potest esse inter infinitos.

Cur non possit dici Deitas mundum creavit, sed Deus creavit?

Quia

Quia ut docet Arist. 1. de anima. Actiones sunt suppositorum, Deitas verò non est suppositum, sed est natura.

Cur essentia seu natura divina non producitur?

Omne quod producitur, à producente distingvitur, itaque si essentia essentiam produceret distingveretur ab illa, & essent plures naturæ divinæ, & cum quidquid existit habeat subsistentiam, essent plures Dij, modo verò est unica essentia, quæ tribus subsistentijs terminatur,

Cur Filium Dei vocemus Verbum?

Hanc etiam quæstionem S. Aug. in Conf. lib. 7. cap. 21. Testatur se invenisse apud Platonicos. Responsio verò est, quia omnes apprehendunt Deum esse intellectivum, & modo quodam sublimissimo, sicut Angelus purius est intellectivum quàm homo, quia non est natura illius divisa ut nostra in animal & rationale, ideo vocatur à Philosophis intelligentia, altius quid de Deo cogitandum, cui non est accidens intelligere, itaque esse intellectivum est ejus natura seu esse intelligentem, & quia intelligentis est producere Verbum, ideò id quod gignit in similitudinem naturæ est Verbum & quia totam vim intellectivam Patris adæquat, plura esse non possunt Verba. Hoc verbum magis est Filius, quam in humanis quia totam Patris substantiam accipit.

Cur Filius Dei non possit dici ex nihilo?

Quia non esset Filius, nam Filius debet ex substantia Patris produci, item esset creatura, neq; ab æterno quia non semper fuisset.

Cur Spiritûs S. intellectus non producit verbum aliquod?

Quia est idem qui est in Patre, & in Patre jam produxit verbum quod totum intellectum adæquavit. Producit verò voluntas Filij Spiritum S. quia licet eadem sit in Patre & Filio, nondum tamen in Patre quidquam produxit: & rursus licet eadem sit in Spiritu S. quæ in Patre & Filio producere tamen volitionem seu amorem amplius non potest, quia quidquid potuit jam in Patre & Filio existens, produxit. Et quia prior est intellectio, quàm volitio, ideò priùs producitur Filius quam Spiritus S. non tamen priùs tempore.

Cur Spiritus S. non possit dici Dei Patris nepos?

Quia nepos est Filius Filij, Spiritus autem S. nullius est Filius.

Cur Deus Filium genuit intra se.

Bonitas est seipsam communicare, DEus autem est maximè bonus. Jam verò communicare intra se est perfectius quàm extra se, quia qui extra se solum se potest communicare, indiget aliquo extra cui se communicet, & quia perfectius est actu se communicare quàm potentiâ ideò Deus ab æterno se communicavit.

Cur eo Deus sit trinus in personis, unus in essentia. Ratio hic nulla dari potest naturalis, congruentias quæ afferri possunt, adducemus?

Quia dantur singulæ naturæ singulis personalitatibus clausæ, dantur plures naturæ ut in homine anima & corpus, una personalitate clausæ ergo etiam

etiam convenit unam naturam pluribus personalitatibus esse terminatam, & hoc est in Deo. Item datur ens æternum & à se ut est Deus Pater, datur etiam nec æternum nec à se, uti sunt creaturæ, ergo etiam conveniebat ut esset æternum, neque tamen à se, qualis est Filius & Spiritus S. Item unitas est bonum, multiplicitas est bonum, & est malum uni quòd careat multiplicitate & multiplicitati, quod careat unitate: conjungi ergo in aliquo conveniebat has duas perfectiones sine earum imperfectionibus, & hoc fit in Deo. Item perfectio est naturæ seipsam communicare, sed imperfectio est quod in creatis se divisa communicet, ergo hâc ablatâ imperfectione communicatio Deo adscribenda. Item nemo dat quod non habet, itaque cùm Deus causis secundis det fœcunditatem ut effectum sibi generent similem & ipse illam habet, effectus autem consequitur causæ perfectionem, ut vult illi esse simillimus, itaque & Filius Patri erit simillimus, licet tantùm ab illo origінetur non causetur, & cùm duo non possint esse perfectissima, nam unus non haberet quod alter habet, itaque in natura erit idem Filius cum Patre. Et quia est nobilissimus modus per intellectum producendi competet Deo, & sic producet. Et si Filius est optimus necessariò illum amabit, & ita procedit Spiritus S. Et quia nihil seipsum producit, erunt personæ distinctæ generata à generante, spirata à spirante. Et cùm sit optimus DEus necessariò communicat, non autem ad extra ut supra dictum, ergo ad intra. Et cùm omnes ap-

prehendant Deum id esse quo nihil est melius, debuerunt illi aliquam operationem attribuere, quia meliùs est esse simul & operari quàm tantùm esse, & certum videtur esse creaturam non potuisse ab æterno, itaque potest colligi ante productionem creaturæ aliquid Deum operatum, & illud non fuisse creaturam. Quod confirmatur. Quia præstantior est fœcunditas, quæ non indiget termino extra se, quia ablato termino illo, jam Genitor non posset esse fœcundus. Item melius est, si operatio aliqua Dei sit Deo æqualis, id est infinita, & melior est operatio Filium producere, quàm domum v. g. Itaque conveniens ut produceret Filium. Item melius est ab æterno Dei potentias esse in actu quàm solùm in potentia, item melius est si bonum se actu communicet, quàm potentiâ. Ex utroque horum sequitur à Deo debuisse aliquid produci. Jam ulterius, illud quod produxit cùm non sit creatura, erit Deus, duos autem esse Deos impossibile, ut ipse Aristoteles agnoscit, itaq; idem erit Deus & eadem substantia, & quia productus est, à producente distingvetur, nam nihil seipsum producit sine aliqua distinctione. Et quia nec Deus mutari potest nec ejus substantia dividi, id quod est productum, erit in eo, & semper erit, & sine fine productum. Hæc verò productio fieri non potest, nisi per ipsam Dei naturam, Dei verò natura est sapientia, & cùm omne perfectum productum sit simillimum producenti, hoc quod producetur erit sapientia, si sapientia, cognoscet suum producentem amabitque & amabitur, itaque re-

ſultavit amor, qui non poteſt eſſe accidens, quia Deus non mutatur, nec proinde recipit accidentia, itaq; erit ſubſtantia, & cùm ſit in Deo, erit ſubſtantia Dei, & cùm Dij plures eſſe nequeunt, erit eadē ſubſtantia cum producente ſapientiam & cùm ipſa ſapientia, & cùm ſit idem in ſubſtantia cum Sapientia & producente non habebit aliam ſubſtantiam, nec alium amorem, itaque nihil amplius producet. Et cùm productũ ſit tota ſubſtantia producentis, non poterit plures ſapientias producere, quæ ſint idem cum illo. Itaque non poterunt eſſe in Deo plures quàm tres perſonæ. Rursus plura infinita ejusdem generis videntur repugnare. Itaque plures ejusdem rationis Spiritus S. eſſe non poſſunt. Imò Pater in omni eo in quo poſſet cogitari ſimilis eſſe Filio ac Spiritui S. idem omninò debet eſſe cum illis, ac per ſolas proceſſiones diverſi, quæ inter illos ſunt disſimiles. Unde ſi eſſet potentia generativa in Filio ſimillima Paternæ, & in Spiritu Spirativa ſimillima illi, quæ eſt in Patre ac Filio ceſſaret omnis inter illos diſtinctio. Et ulteriùs licet tota potentia generativa ſit in filio, quæ eſt in Patre, eſt tamen in Filio cum ſuo termino, quo ita expletur ut nihil ampliùs posſit producere, idem de ſpirativa potentia in Spiritu S. Nemo verò producit illud quod habet. Habet producens totum id, quod habet productus, præter id quod ab illo diſtingvitur. Sed hoc intellectũ ſuperat. Relativa contra ſe per relationem realiter diſtingvuuntur. Attamen omninò res eſt eadem cum natura, id, in quo ſunt diſtin-

cti, quæ natura cum omnibus relationibus est eadem, & in se unica est, nullo modo à se distincta. Omninò tamen ita esse est necesse. Nam si à Patre productio distingveretur, cùm sit immanens, Patri inest aliquod accidens, vel substantia ab illo distincta; si etiam productio activa Patris non distingveretur à productione passiva Filij qui in essentia omninò est idem cum Patre, nihil omninò Pater produceret, nam essentiam non producit, debet ergo & immutabilitas & fœcunditas Deo adscribi, quia hoc est melius, quàm Deum aut sterilem esse sine mutatione aut cum mutatione fœcundum. Pluralitatem personarum infinita communicabilitas requirit, hæc in Deo est ut summè bono, & ab æterno non potuit se communicare creaturis. Nam illæ Deo in antiquitate non debent se gerere pares, ideo communicabat personis. Item si non essent plures personæ non habuisset Deus ergà quem exercuisset charitatem, nam nemo se ex charitate diligit. Generatio etiam est quædam perfectio, ideò, liberata omni imperfectione, competit Deo. Quæ non ideò adducimus quasi per rationem velimus, mysterium quod est supra rationem explicare, sed ut ostendamus non esse contra rationem. Nam Platonici ut refert Macrobius in Scipione cum agnoscerent tres Dei personas, illas tres esse Deos affirmabant, quos secuti deinde Ariani, hæc forte inde illis quia aliquibus Gentilibus Deus revelavit Trinitatem, uti & oracula illam enunciare coëgit.

Cur

Cur Dei actiones aliquæ assignari debent Deo immanentes?

Quò nobilius est agens, conjunctam, ac sibi immanentem internam habet actionem, unde inanimata ferè solùm extra se producunt nisi aliquid amiserint de pertinentibus ad sui constitutionem tum reparant aliquando. Vegetantia intra se multum producunt, & plus sentientia: plurimum & magis intra se rationalia, ergo Deus cum sit infinitè nobile agens productiones habebit infinitè sibi intimas, hoc est identificatas.

Cur necessariò Deus Pater filium generat?

Magis bonum est quod essentialiter & necessariò se communicat alicui, quàm quod solùm liberè, Deus ergo cùm sit bonum maximum, debuit se communicare essentialiter, ubi communicatio est, ad effectus nobilissimos.

Cur verbum divinum exprimit loquentem?

Quia verbum internum exprimit hoc quod enunciat, sed in divinis se Deus Pater præcipuè per verbum eloquitur, itaque illum debet exprimere. Eloquitur etiam & omnia creata atque possibilia, atque etiam illa exprimit. Verbi autem divini notitia fuit etiam apud Gentiles Philosophos & Poëtas uti scribit Lactantius l. 4. c. 8. & Trismegistus ad Tatii, ubi dicit: *Deus genuit verbum.* Verbi etiam divini meminit: Plato in Epinomide & Heraclitum allegat Amelius Platonicus hæc dicentem. *Hoc erat verbum per quod semper existens, ea quæ sunt, facta fuerunt.* Et Orpheus apud Justinum M.

tomo 1, ait. Itaque Dei verbum aspicias &c. & rursus.

Vocem te Patris adjuro quam protulit ipse.
Primum, consilijs ejus cum constitit orbis. Certè
non ex Evang.

Oraculum etiam sybillinum, &c.

Principio Deus est, tum sermo & spiritus illis
Additur, æquæva sunt & tendentia in unum.

Rursus Plato apud Dionys. epist. *Circa Regem* (Deum) *omnium cuncta sunt ipsius gratiâ omnia, ipse pulchrorum omnium causa, circa secundum secunda, tertia circa tertiam*, quæ verba explicat Porphyrius apud Cyril. lib 8. contra Julianum hoc modo. *Usq; ad tres subsistentias dicit Plato, Dei progredi essentiam*, & esse quidem dicit *Deum summe bonum post illum autem secundum Conditorem, tertium autem mundi animam, nam usq; ad animam divinitatem progredi*. Suidas Mercurium ideo dicit vocatum Trismegistum, quòd de Trinitate sit locutus, & in Trinitate unam divinitatem asseruerit, & multi alij habent similia, quæ unde acceperunt interim non disputo & utrum quæ loquebantur intellexerint, non curo. Apollinis est oraculum, quod è Græcis versibus hoc modo in Latinos traductum.

Ne me, utinam supremum, infelix ipse Sacerdos.
Sciteris de Sancto ac divino Genitore.
Et sobole charâ rebus magni induperantis
Et flatu, qui mundum adstrictum continet omnem.

Innuit etiam Aristoteles aliquam se Trinitatis notitiam habuisse cum lib. 1. de cœlo ex sententia

Pythagoricorum, Deum coli numero ternario, affirmant. Quæ ideo adducimus ne in præsenti discursu alicui metas naturalis scientiæ transilijsse videamur. Quanquam Christiano Philosopho non indecorum est fidem attingere, cui servire debet.

Cur Deus Verbum necessariò ab æterno genuit?

Quia fuisset ab æterno otiosus omninò & caruisset socio felicitatis atque ita solitudinem habuisset.

Cur inferimus distinctionem Patris à Filio ex eo quòd illum producat cùm aliquid seipsum possit producere divinitus?

Potest seipsum producere secundò seu postquam jam priùs extitit, sed seipsum primò producere non potest, quia esset prius quàm esset, nam operationem præcedit existentia causæ. Jam verò quoad secundum esse hoc non habet locum in Deo. Si Pater generavit seipsum est à se indistincta persona, vel mutatus Pater erit in filium quæ mutatio Deo repugnat.

Cur verbum asserimus esse personam non autem solam naturam?

Quia verbo ab omnibus Philosophis, qui illud agnoverunt attribuuntur actiones, atqui juxta Aristotelem, actiones non sunt naturæ, sed suppositorum, itaque verbum erit suppositum, at quia rationale est, erit persona.

Cur

Cur personæ dantur in Deo?

Omne quod existit necessariò debet in aliqua personalitate seu supposito existere, Dei verò natura existit, itaque debet in aliqua personalitate existere.

Cur vox, Deus, non significat personam?

Quia persona est quid incommunicabile, Deus verò, dicitur tam de Patre, quàm filio, quam Spiritu S.

Cur in Deo plures personæ concedi debent?

Non agimus hic per fidem sed per solam rationem, quæ est ejusmodi. Naturæ non repugnat ut se communicet pluribus personis, nam de facto natura humana communicat se pluribus individuis quod autem possibile est, in Deo est actu sublatis imperfectionibus, natura humana in communicando se, habet hanc imperfectionem, quòd scindatur ac dividatur, itaque in Deo communicat se sine divisione sui.

Cur SS. Trinitas naturali intellectûs lumine cognosci non possit?

Congruentias aliquas & rationes probabiles de Trinitate formare possumus, sed notitiam certam nonnisi ex fide habere possumus. Quia noster intellectus nullius rei accipit scientiam nisi cujus principia prima apud se habet. Principia verò sunt naturalia. Primum, unam naturam non esse in pluribus suppositis. 2. Omne quod aliud generat distinctum à se in natura generat. 3. Ubi sunt distinctæ subsistentiæ etiam naturæ distin-gvun-

gvuntur. Item omne genitum priùs est in potentia, quàm in actu. 4. Quæ sunt eadem uni tertio, sunt eadem inter se. Quæ principia excedit hoc mysterium. Unde Plato creditur nomine Filij Dei intellexisse mundum cujus nutricem statuit materiam primam. Imò Albertus M. 1. dist. 3. a. 18. ait. *Trismegisti liber est fictus, & totum quod est in eo est in lib. Magistri Alani, & si quid Philosophi de Trinitate intellexerunt, id ab Hebræis habuêre*, quos etiam teste S. Augustino lib. de doctrina Christiana adijt Plato, Alb. ibid. adduximus tamen eos, ut non deessent illi qui libros admittit. Et quia hic agimus naturalem Philosophum naturali etiam authoritate, si quæ illa est, nostra dicta munire voluimus.

Cur verbum divinum non dicatur cogitatio?

Respondet S. Aug. 15. Trinit. cap. 16. *Ne aliquid quasi volubile credatur in Deo, quia scilicet cogitatio quendam motum & imperfectionem significat.*

SUBSECTIO V.

De quibusdam Dei Attributis.

Cur Deo conveniat esse immaterialem?

Quidquid est melius Deo attribui debet, cùm Deus sit illud quo melius nequit excogitari, melius verò est esse immaterialem, quàm materialem. Præterea, si Deus esset materialis partes haberet, jam quævis pars illius ablata ab alijs vel esset Deus, vel non esset. Si esset, tot essent Dij quot partes. Et rursus cùm una pars non esset in loco alterius non esset ubique, atque adeò non esset

esset Deus, quodsi nulla pars Dei esset Deus, componeretur ex non Deo Deus.

Cur Deo conveniat esse infinitum?

Quia est causa infinitorum possibilium, itaque omnium perfectionem, & ita continere debet, ut nulla illi defacto desit, aut supervenire possit: hoc enim in eo mutabilitatem argueret, itaque infinitus est in perfectione. Infinitus etiam in potentia esse debet. Quia debet ex nihilo posse facere, infinitus in Sapientia, quia infinita potest scitè facere, infinitus in ordine quasi ad locum, quia in infinitum in alio & alio loco agere &c.

Cur Deo conveniat esse immutabilem?

Quia dum fit mutatio vel acquiritur aliquid, quod nō habebatur vel dimittitur quod habebatur. Deo verò neutrum horum convenit. Nam neque re ullâ caret, aut quam habet illâ carere potest, dum sit illi interna.

Cur Deus invisibilis oculo nostro?

Quia est immaterialis, nihil verò immateriale ab oculo materiali conspicitur.

Cur Deus intellectu nostro sit incomprehensibilis?

Hoc comprehendit intellectus, quod ita intelligit ut nihil in eo supersit quod no intelligat, Deum verò cùm sit infinitus quomodocunq; intellexerimus, adhuc infinitè intelligibilis supererit.

Cur Deus est bonus in natura?

Quia bonum in natura esse, est, habere omnem perfectionem ad naturam spectantem, at verò nulla

nulla omninò deest perfectio Deo, itaque Deus est non tantùm bonus, verùm etiam optimus, & cùm illi essentialiter competat omnis perfectio, est per essentiam bonus.

Cur solus Deus est bonum nostrum?

Quia bonum est alicujus est id, quod illum beatum efficere potest, atqui nos solus Deus beatos efficre potest, itaque solus Deus est bonum nostrum.

Cur Deus magis quoad se cognoscibilis quàm res aliæ?

Omne in tantum est cognoscibile in quantum est ens, Deus verò magis est ens quàm alia, siquidem nihil ejus est in potentia, sed totum in actu; ens verò magis dicitur de ente in actu quàm de ente in potentia, Deus quod omnia habeat in actu & notum per se est, & 12. Metaph. declaratur.

Cur Deum non cognoscimus quoad quid est?

Rem cognoscere quoad quid est, est cognoscere per conceptus definitivos, definitiones verò formamus per genus & differentiam quæ sunt partes, atque in quibus has videmus partes facilius definimus, Deus verò est ens simplicissimum, quia est purus actus, ideò non possumus in eo partes prædictas invenire pro formanda ejus definitione. Nam omne genus potentialitatem dicit & complebilitatem, quod non habet locum in DEO. Hinc definitiones

Dei

DEI proprias non habemus, sed solùm quasdam descriptiones. S. Dionys. Areopagita cap. 1. de divin. nominibus, & S. Joan. Damasc. lib. de Orthod fide c. 15. Ita Deum describunt. *Deus omnium est causa & principium: eorum quæ sunt substantia, viventium vita, eorum quæ ratione utuntur, ratio: utentium intellectu, intellectus: decidentium ab eo, revocatio: intereuntium autem secundum naturam, revocatio atque reformatio: eorum, quæ moventur secundùm impetum validum, magnum firmamentum: stantium stabilitas: eorum qui ad ipsum assurgunt, via, & reductiva manuductio, & eorum, qui ab ipso sunt, Pater: Principalius enim Pater noster est. Eorum qui eum sequuntur & ab eo pascuntur, pastor: illuminatorum, splendor: perfectorum, perfectio. In Deum transeuntium, Deificatio: diffidentium pax: simplicium simplicitas: Unitorum unio. Omnis principij super substantiale principium, & sui occulti quantum fas est & ut uniuscujusque patitur conditio, cognitionis benigna traditio.* Alij Sic. Deus est. Cujus essentia, infinitas: cujus magnitudo immensitas: cujus vita, æternitas: cujus status immutabilitas: cujus virtus, omnipotentia: cujus amor, sanctitas: Cujus benevolentia, Vita æterna, cujus ira, mors æterna, cujus imperio subsistunt omnia: cujus providentiâ, omnia conservantur, & in suos diriguntur fines: cujus palmo concluduntur omnia, & in nihilo suspensa continentur; cujus comparatione universitas rerum est instar puncti, vel potius instar nihili: Hic talis ac tantus nobis nihili creaturis tam immensa contulit beneficia indignis

gnis & ingratis. S. Bern. l. 5. de consid. c. 1. quærit, quid estDeus? Voluntas omnipotens, benevolentissima virtus, lumen æternum incommutabilis ratio, æterna dulcedo, creās mentē ad separticipandum, vivificans ad sentiendum, afficiens ad appetendum, dilatās ad capiendum justificās ad promerendum, accendens ad zelum, fœcundans ad fructum, dirigens ad æquitatem, formans ad benevolentiā, moderans ad sapientiam roborans ad virtutem, visitans ad consolationem, illuminans ad cognitionē, perpetuans ad immortalitatem, implens ad felicitatem, circumdans ad securitatem. In suoSymbolo S. Greg. Thaumat. à S. Joanne Evangelista tradito, jussu B. Virginis. Unus est Deus Pater verbi viventis, Sapientiæ subsistentis, & Potentiæ & figuræ æternæ: perfectus perfecti genitor, Pater Filii unigeniti. Unus Dominus, Solus ex Solo, DEUS de Deo, figura & imago Deitatis, Verbum efficax, sapientia constitutionis rerum universarum comprehensiva, & potentia totius creaturæ effectrix, Filius verus viri Patris, visum effugiens visum effugientis, & corruptioni non obnoxius non obnoxij corruptioni, & morti non obnoxius morti non obnoxij, & æternus æterni, unus Spiritus S. ex Deo ortum & existentiam habens, quique per filium apparuit, videlicet hominibus, imagoFilij perfecti, perfecta vita viventium, causa, fons, sanct⁹, sanctitas sāctificationis suppeditatrix, per quem manifestatur Deus Pater, qui est super omnia, & in omnibus & Deus Filius, qui per omnia permanat. Trinitas perfecta, quæ gloriâ atque æternitate & regno non dividitur neque abalienatur. Hæc Nyssenus in vita S. Thaumat.

Cur Deus dicatur Alpha & Omega?

Quia eſt & cauſa prima quod per Alpha innuitur, & rerum omnium finis, quod Omega denotat.

Cur Deus dicitur finis ultimus?

Quia in finibus non poteſt dari proceſſus in infinitum, quia nunquam aliquid poſſemus ultimò amare; & quia tandem in Deo ſiſtimus, ille eſt finis ultim9. Et ſi non eſſet aliquid ultimus finis, nunquã poſſet humanum deſiderium expleri, atque ita gratis eſſet, ut argumentatur Philoſophus in proœmio primi Ethicorum, ubi ſic dicit. *Si utique eſt aliquis eſt finis operabilium, quem propter ipſum volumus alia autem propter illum & non omnia propter alterum deſideramus, procedit ens iri infinitum, ſicque eſſet vacuum & inane deſiderium.*

Cur Deus peccare non poſſit?

Peccatum eſt averſio à Deo. Deus autem ad ſe eſt ſummè conversus, itaque non poteſt peccare, Item peccatum eſt quid contra legem, Deus verò nulli eſt ſubjectus legi. Item peccatum eſt defectus à lege, Dei verò voluntas eſt lex ipſa, itaque ſicut Dei voluntas à ſeipſa non poteſt deficere, neque à lege deficere poteſt, item peccare non poteſt, qui ſemper voluntatem habet bonam, unde qui peccat aliquando bonam, aliquando habet malam, quòd arguit mutabilitatem.

Cur Deus infinitè dives & ſciens?

Quia præmia largitur bonis quæ debet ſingula cognoſcere, & cùm infinitè merita varientur, poſſuntque in infinitum numero creſcere, opus ad ea perfectè cognoſcenda ſapientiâ maximâ, item ad re-

remuneranda sine sua depauperatione opibus infinitis.

Cur licet totus Deus sit in Petro & totus Deus sit in Paulo, non tamen Petrus sit in Paulo?

Quia licet totus Deus sit in Paulo, est tamen totus etiam extra Paulum, ita ut non sit Paulus ubicunque est Deus, proinde licet sit Deus in Petro, non tamen est necesse Paulum esse in Petro.

Cur Deus non sit in spatiis imaginariis?

Quia esse in aliquo duo dicit, v.g. esse Petrum in schola dicit & Petrum esse & scholam esse, at verò licet sit Deus, spatia tamen imaginaria non sunt.

Cur Deus infinitè bonus?

Quia Deus est quo nihil melius excogitari potest, at verò omni finito bono melius potest excogitari, itaque est infinitè bonus.

Cur in Deo non sint infinitæ numero perfectiones?

Quia numerus est inter distincta, at verò Dei perfectiones à se non distingvuntur, itaque nec sunt plures numero, nec infinitæ numero. Itaq; nec in Deo datur infinitus numerus.

Cur bonitas creata non possit comparari ad voluntatem divinam ut movens ad motum?

Quia quod movet voluntatem per se est finis, media enim non movent propter finem, at verò finis divinæ voluntatis, non est creata, sed increata bonitas.

Cur Plato in Timæo alias res præter Deum vocat non Entia?

Quia plus habent de non ente, quàm ente, quot enim carent perfectionibus, toties sunt non entia:

præterea multò majore tēpore ſunt nihil quàm ens ſint enim nihil ante productionem & poſt corruptionem. Et multa non entia admixta habent, homo enim non eſt Angelus, itaq; ſicut albedo quæ habet multum non albi admixtum non eſt albedo, ita homo non ens, quod ſuo modo intelligendum.

SUBSECTIO VI.

De Potentia Dei.

Cur heſternam diem Deus reproducere non poteſt?

Quia nihil Deus facere poteſt, quod ſi eſſet, ſimul non eſſet: tale enim repugnat fieri: hujus generis eſt dies heſterna hodie, nam ſi eſſet hodie, ſimul non eſſet hodie, quia eſſet heri. Ita & impoſſibilia ponere non poteſt. Quia ſi ponerentur, jam eſſent poſſibilia, & tamen eſſent etiam impoſſibilia, & talia quæ eſſentialiter non poſſunt poni. Demus etiam quod Deus faciet præteritum igitur non eſt, ſi non eſt, Deus illius cauſa non eſt, at verò & fuerunt, & Deus cauſa eorum fuit.

Cur Deus è nihilo poſſit aliquid facere?

Quia ſi ſolùm poſſet ex materia præſuppoſita facere illam non feciſſet, ac proinde in illam dominium non haberet.

Cur Deo conveniat omnia conſervare?

Si non conſervaret ſolâ volitione, non poſſet volitione deſtruere. Quia res ſemel facta ab aliquo ſi ab eo non conſervatur poteſt ſine illo eſſe, nec ſola ejus volitione ceſſat.

Cur Deus cùm ſit omnipotens mori non poſſit?

Quia mori non eſt actio, proinde non ſpectat ad potentiam, aliunde verò eſt maxima infelicitas adeoque non convenit.

Cur Deus omnia posſit ex nihilo ita ut non debeat priùs materiam creare?

Quia ſic omnipotentiam ſuam haberet reſtrictam, quodſi reſtrictam, ab aliquo reſtrictam, & illud quod reſtringeret Deo eſſet potentius.

Cur omnia quæ à Deo ſunt facta, ſint bona?

Quia Deus eſt bonus, omnia autem ab illo facta participant de ipſo, uti effectus participant de cauſa, itaque neceſſariò ſunt bona, omnis enim effectus eſt imago cauſæ.

Cur Deus non mutetur quando aliquid de novo creat?

Quia creatio non eſt in creatore, ſed in re creata.

Cur omnes tres perſonæ crearunt mundum?

Quia in omnibus eadem cognitio, eadem voluntas, poteſtas.

Cur mundus non eſt optimus ſicut Dei Filius licet factus ab optimo?

Quia creatio mundi eſt libera, proinde non juxta totum ſe Deus illi communicat, productio Filij eſt neceſſaria.

Cur anima noſtra à ſolo Deo creatur?

Cauſa debet omnem perfectionem continere, quæ eſt in effectu: In anima verò noſtra eſt inclinatio ad omne bonum quæ non eſt in ulla alia re; Itaq; non poteſt illam dare, niſi qui eſt omne bonũ talis verò eſt ſolus Deus. Nam omnia quæcunque participant bonitatem Dei, ſunt aliquod, non autem omne bonum.

Cur Deus dicitur in inſtanti operari cùm inſtans, non detur reale?

Si intra partes temporis darentur realia instantia indivisibilia tempus non esset quid continuum, sed divisum, itaque solùm sunt imaginaria instantia. Deus tamen dicitur in instanti operari ut intelligatur modus ejus operandi, sicut enim inter partem & partem quantitatis continuæ nihil est tamen imaginamur punctum aut instans ut quoddam dicamus, in quo omnis mora perceptibilis aut imperceptibilis excludatur. Angelus in instanti operatur sed alio quàm Deus. Nam divido horam in dimidias duas partes. Deus animam creare potest, nec in primæ medietatis aliqua parte, & ante omnem partem secundæ medietatis: At verò Angelus in aliqua parte temporis facit. Ita Abulen. in c. 11. Exod.

Cur Deus successivè agere non potest?

Cum pars est actionis successivæ non est tota itaque non est perfecta. Deum verò actio imperfecta dedecet. Idcircò actiones Dei tempore non mensurantur.

Cur Deus respectu creationis non sit causa prima?

Ibi Deus est causa prima ubi inveniuntur & secundæ, sed in creatione nullæ sunt secundæ, imò fortè nec possunt esse, quia non apparet quid conferrent. Sed neque vis creativa creaturæ communicari, ut causæ principali videtur posse, cùm videatur ejus incapax ob maximum excessum.

Cur omnia in nihilum abirent nisi Deus conservaret?

Sicut accidens quia de se non est Ens sed Entis Ens ut dicitur initio 7. Metaph. Sine substantia, nec fieri

ri nec conſervari à natura poteſt, quia ſemper eſſe à ſubſtantijs accipit cum illis ineſt: ita omnia creata reſpectu; Dei nihil enim habent à ſe cùm ſint de nihilo, ideò ſicut non ſua ex nihilo prodierunt, ita indigent conſervatione, ne in nihilum recidant.

Cur omnibus indidit Deus appetitum exiſtendi?

Quia divinæ bonitatis eſt neceſſariò exiſtere, bonitatem autem Deus dedit inſtar formæ rebus, quæ imitatur increatam bonitatem, itaque & in eo conantur aliquomòdo illam exprimere, quod illi convenit.

Cur Deus non poſſit hominem perfectiorem in natura efficere?

Quia juxta Ariſtotelem, ſpecies ſunt ut numeri, ſi enim alicui numero aliquid addideris, jam eum in alia ſpecie conſtitues. Ita ſi homini aliquid perfectionis eſſentialis adderetur, jam non eſſet homo.

Cur Deus Chimeram deſtruere non poteſt?

Quia Chimera nullum habet eſſe, proinde à Deo non conſervatur, ſicut neque creatur, atque ita etiam per ſubtractionem conſervationis deſtrui non poteſt.

Cur ſolus Deus poſſit animam noſtram ingredi, non autem alij ſpiritus?

Sicut in corporibus quantitas, ita in ſpiritibus ſe habet ſimplicitas, in corporibus fit quæ ſunt majora, ut admittant inter ſe minora, in ſpiritibus autem qui eſt ſimplicior ingredi poteſt minus ſimplicem. Nam licet omnes ſpiritus ſint ſimplices, tamen aliqui ſimpliciores. Et quantò aliquid magis diſtat à ratione maximæ ſimplicitatis, tantò magis appro-

pinquat ad rationem magnitudinis in quantitate, ſed majus quantum recipit intra ſe minus, ergo & ſimplicius recipiet, intra ſe ſimplex. Sed Deus eſt ſimplicisſimus, alij autem ſpiritus non ſunt purè ſimplices, ideò poteſt Deus quemlibet ſpiritum ingredi, & nullus ſpiritus Deum. Et ideò Deus illabitur tam animæ noſtræ, quàm cuivis Angelo & cogitationes ejus novit, & quas vult in illo ponit, & eſſentia ejus eſt intra eſſentiam. Angeli verò vel non ſunt ſimpliciores quoad eſſentiam. Quam ſint noſtræ animæ, vel non tantùm ſimpliciores ut eas posſint ſubintrare. Ita Abulen in. 2. Paral. c. q. 19.

Cur Deus non posſit facere infinitè perfectam Creaturam?

Actione univocâ non producit Deus aliquid aut homo niſi ſuam ſubſtantiam communicando, & jam eſt Filius; actione æquivoca, nunquam agens aliquid æquè perfectum ſtatim producit ac eſt ipſum ac proinde jam illa creatura non eſſet infinitè perfecta, v. g. Si homo producat aliquid quod non ſit homo. Illud erit homine vilius. Quia tales effectus cauſa non principiat per modum naturæ ſed per modum artificis, nec communicat eis aliquam perfectionem naturæ, ſed ſolum perfectionem artis, quod ſcilicet fiat juxta ideam, & ſerviat ad finem intentum, bonitas autem artis, non eſt æqualis bonitati naturæ, melior enim eſt homo quàm Faber.

Cur infinita potentia fatigari non poteſt?

Quia nihil illâ majus reperitur, actio autem oppoſitione minorum virium perficitur, & majori fatigatur.

Cur actio Dei est ab æterno, passio verò effectus creati à Deo in tempore?

Quando eundem modum essendi, ut est in creatis, habet agens & effectus etiam actio & passio eundem habent modum essendi ita ut sint simul ac eadem res: At verò Deus habet modum essendi æternitatem, creaturæ tempus, itaque & passio & actio debent habere diversum essendi modum. Modus enim operandi sequitur modum essendi.

Cur si Deus desineret esse omnia perirent?

Deus est talis quo melior concipi non potest. Itaque omnibus se communicat, cooperatur, omnia conservat, quia est fons omnis essentiæ, itaque illo pereunte perire omnia necesse. Item cùm res omnis sit ex materia & forma, & ista duo se non possint per se conjungere, sed à Deo conjunguntur, itaque si ille desit, nihil supererit.

Cur Deus omnia propter se, quæ agit, agere debet?

Quia cùm sit agens intellectuale debet agere propter finem, neque decet ut agens nobilissimum agat propter finem non nobilissimum, nihil autem se ipse nobilius invenit, itaque propter se ipsum agere debet.

Cur Deus non necessariò ponit creaturas?

Quia in primis bonum sunt finitum, itaque in voluntatem ejus non possunt inducere necessitatem. Præterea non sunt bonum illius necessarium uti sunt creaturæ possibiles, nam sine existentibus omnipotentia illius manere Salva potest, non item sine possibilitate. Itaque licet cum illarum possi-

bilitate necessariò conjungitur, non tamen cum existentia.

Cur non possit dici Creet Deus tot homines quot potest creare?

Quia, *tot*, *quot*, sunt termini circumscribentes determinatũ numerum, & quasi dicunt tot & non plures, quod in Deo locum non habet. Nunquam enim potest creare tot, quin plures semper possit, quia potest infinitas Syncathegorematicè, in quali infinito nunquam sumi possunt tot, quin plura supersint.

Cur Dei actionem vocat Avicenna maximè liberalem.

Quia nullum bonum accrescit Deo ex productione Creaturarum, at verò cum Creaturæ agunt, per actionem suam redduntur perfectiores, ideò illarum actio non tam est liberalis.

SUBSECTIO VII.

De Providentia Dei.

Cur, siquidem Deus nos amat multa mala nobis immittit?

Quia non debet propter unumquemque totum universi ordinem turbare, alioqui omnis ordo periret, mala enim nobis plurima ipsi stultitiâ aut malitiâ nostrâ accersimus, quæ si non sequerentur, miracula fieri continuo esset necesse, atque ordo mundi inverti deberet. Idem est si nobis mala, quæ ex aliorum malitia aut stultitia adveniunt, præpedirentur, ut cum quis Judici contra nos calumniam proponit, per miraculum deberet impediri, nè propo-

proponeret, aut ne Judex veritati apparenti, evidenter non acquiesceret; Idem est de malis, quæ nobis ab extrinseco accidunt, ut in ignem cadere, aut aquam. Præterea multa credimus mala, quæ in re sunt bona si non propter se, saltem ratione finis propter quem fiunt, ita medicinas sumimus asperas ut sanitatem reparemus, corpus exercitio fatigamus ne otio putrescant humores, & idem non solum in nobis, sed etiam in reliqua rerum natura evenit. Amputat cultor arboris ramos, ut eam reddat fæcundiorem & ab interitu præservet. Scindit agricola terram, ut purgata herbis inutilibus nobis frumentum ferat; evellit hortulanus urticas ne legumini subtrahant succum. Spectat & Deus in omnibus bonum nostrum cui unicè intentus est, & adhibet profutura licet non semper id nos scire velit, aut etiam expediat, cùm hoc & illud agat. Nam & medicus quædam vult sibi credi, & Pater licet omnia bono Filij instituat, non omnium illi causam reddit. Sufficere id nobis vult Deus, quod sciatur ita esse bonus, ut non esset Deus nisi esset bonus, & si bonus est nocere non posse, quia non esset bonus. Omnia causâ nostri condidit ac conservat, ipse nullius indigus, causâ nostri hunc rerum cursum ire jubet. Denique ipsa mala aliquid habent, quo nobis prosunt, multis secunda fortuna industriam, prudentiam, sapientiam eripuit, adversa reddidit. Multi postquam ceciderunt, respicere cælum visi, multi ex pænis se agnoverunt peccâsse. Multis in adversitate libido desipuit, fastus evanuit, circumspectio illuxit.

Cur Deus mundum per Angelos gubernat?

Non

Non quod egeat adjutorio cùm & Angelos de nihilo fecerit, sed quia vult omnia fieri ordinatè, ordo verò est optimus, cùm inferiores per superiores gubernantur. Finis verò gubernationis hujus est ut nos juvent ad consequendum id propter quod facti sumus, suggerendo auxilia amovendo impedimenta. Proinde gubernatio Angelica, est Providentiæ divinæ executio.

Cur Deus mundi habet curam?

Dei res est mundus, quia illum fecit, quisque verò suæ rei curam habet. Hinc natura cuique indidit, ut Deum oret ut det bona, mala avertat. Præterea si Deus mundum non gubernat, casus & fortuna gubernant, quæ est pessima gubernatio.

Cur Deꝰ quosdam sceleratos non videtur punire?

Punit in altera vita (secludo hic fidem) agnovit hoc Plato lib. 10. de Repub. qui describit quendam Pamphylum post decem dies à morte ad vitam reducem, hic & præmia justorum, & pœnas sceleratorum post hanc vitam enarrat. Hanc veritatem testati Poëtæ, qui campos Elysios, Tartara, Cerberum, Ixionem, Rhadamantum & alios post hanc vitam judices descripserunt. Agnovit & Arist. 10. c. 9. Ethic. circa finem quanquam subobscurè.

Cur Deus nobis libertatem dedit, quâ scivit nos abusuros?

Idem potest quæri, cur dedit oculum, manum, pedem, ventriculum, imaginationem, imò quasi omnia membra, quia & illis scivit nos abusuros, ac proinde nullum membrum debuisset dare. Atq; ita hominem non creare. Dedit itaq; hæc quia poteramus eis non abuti, nam liberè ijs abutimur. Nam si

necessariò ijs abuteremur, semper eodē modo abuteremur, nam necessaria semper eodem modo fiunt, quodsi etiam essemus impeccabiles, jam in mūdo non esset creatura libera ad peccandum & non peccandum: nec essemus qui sumus. Sicut si Luna esset sicut Sol, non esset jam Luna. Nam proprietates naturæ superioris non possunt convenire naturæ inferiori, nisi natura inferior in superiorem convertatur. Ut si aqua connaturaliter haberet calorem ignis & siccitatem, jam esset ignis, & idem de alijs. Esse verò naturaliter impeccabilem est proprietas naturæ altioris, quam nostræ. Itaq; si essem⁹ hoc modo impeccabiles, jam nō essemus homines.

SUBSECTIO. VIII.

De Dei apparitionibus.

Cur Deus in hominis non autem in alterius animalis specie solitus comparere?

Quia Deus assumit eam speciem quæ maximè idonea fini propter quem apparet, maximè verò idonea est humana. Nam ideò hactenus comparuit, ut cùm hominibus coversaretur, eos doceret, consolaretur, &c.

Cur Deus nunquam comparuit in specie muliebri?

Quia in hoc se nostræ apprehensioni conformabat. Nulla enim est natio quæ Deum in figura & imagine muliebri sibi repræsentet: præterea quia virilis sexus magis serviebat fini apparitionis.

Cur D. nunquam comparuit in specie adolescentis?

Quia species viri magis exprimit illius attributa, ac propterea magis nostræ imaginationi, atq. fini apparitionis satisfacit. Nā senis species proponit nobis ejus sapientiam, antiquitatem, constantiam &c.

Cur Deus in apparitione, formosi hominis speciem assumit?

Quia imaginem illam hominis in qua fit apparitio, faciunt Angeli proinde quàm perfectisſimam effingunt. Decuit præterea ut perſona perfectisſima quæ eſtDeus à perfectisſima in ſuo genere repræſentaretur,& quæ ſimul oſtenderet,quam perfectionem poſſunt noſtra corpora, Dei beneficio, conſequi.

Cur Deus certo modo depingitur?

Picturæ ſumunt initium ex apparitionibus hoc modo itaque exprimunt, quo dicitur aliquando apparuiſſe Prophetis v. g.

Cur dicatur non ipſe Deus apparere, ſed nomine ejus Angelus?

Quia Deus hunc mundum non per ſe immediatè ſed per Angelos regit, & gubernat,ut docet S.Dionyſ. Areopag. apparitiones verò hujusmodi omnes diriguntur ad mundi gubernationem & hominum: proinde Angelos,qui ejus loco apparent,Deus mittebat, præſertim cùm nulla fuerit neceſſitas ut ipſemet appareret. Cætera in hoc puncto ad fidem ſpectant, ideò ab illis ſuperſedemus.

Cur Angelus cùm pro Deo apparet dicat ſe eſſe Deum?

Reſpondet S. Auguſtinus in hunc modum. *Cùm ſcriba decretum legit, non dicit ſe decretum illud ſcribere, ſed judex, cùm agat nomine Judicis. Cùm Imperator per Legatum indicit bellum, non dicitur Legatus indicere, ſed Imperator: eadem eſt ratio de Angelis,* quia ſcilicet; agunt, *Dei nomine.*

SUBSECTIO IX
De Dei relationibus ad extra.

Cur in Deo admittitur relatio, non admittitur motus aut accidens?

Quia motus & accidens reducuntur semper ad aliquod prius tanquam imperfectum ad perfectum. At relatio consequitur in Deo operationem, quæ non est Dei imperfectio, neque ullam imperfectionem supponit.

Cur relativa oppositio admittitur in Deo & non alia?

Quia in alijs oppositionibus semper alterum est vel imperfectum, vel non ens, vel ut non habens aliquid de ente, at oppositio relativa nullam importat imperfectionem.

Cur in Deo nulla est relatio realis prædicamentalis ad Creaturas?

Respondet S. Aſtguſtinus 5. Trin. 16. Quia Deus absque sua mutatione creaturas producit. Hoc est ut S. Th. 1. p. q. 13. a. 7. c. Non per distinctam actionem, quæ cum mutatione DEi procedens terminetur in creatura. Neque aliquod bonum Deo accedit ex productione creaturæ, sed creatura ob contrariam rationem realiter refertur ad Deum.

Cur Deus etsi sit Dominus non refertur ad creaturas?

Tria dicit *Dominus*, 1. Potestatem coercendi subditos. 2. Ordinem ad subditos qui consequitur illam potestatem. 3. Terminationem illius ordinis in subditis. Habet verò Deus primum & tertium ratione

tione dominij non verò ſecundum, nam in ſubditis eſt ordo ad Dei poteſtatem non in poteſtate Dei ad ſubditos. Ex quo patet reſponſio.

SUBSECTIO X.

De æternitate Dei.

Cur licet Adam præſens fuerit reſpectu nunc æternitatis indiviſibilis, & Antichriſtus præſens reſpectu ejuſdem, non tamen ſibi ſint præſentes?

Si eſſent reſpectu ejuſdem inſtantis temporis ſibi præſentes, eſſent etiam ſibi præſentes; Utpote qui quodammodo eſſent iidem uni tertio, atque ita & inter ſe iidem. Sed reſpectu æternitatis hoc non currit, quia inſtans æternitatis omni tempori virtualiter correſpondet.

Cur Dei æternitas indiviſibilis?

Si eſſet diviſibilis haberet partes, ſcilicet, præſens, præteritum, futurum, atque ita non eſſet tota ſimul æternitas, neque à tempore diſtingueretur.

Cur tota æternitas omni temporis parti coexiſtit?

Quia eſt indiviſibilis. Præterea ſi non tota coexiſteret, itaque pars ejus quæ præterito tempori coextitit, periret, eſſetque tempus.

Cur Deus non tempore infinito, ſed æternitate duret?

Quia tempus eſt ſucceſsivum, nec partes ſimul habet, at verò Dei duratio eſt tota ſimul, nec poteſt dici de Deo, fuit, erit, ſed ſemper eſt. Quia nihil habuit aut habebit quod non habeat, atque ita apud Deum non eſt heri vel cras, ſed ſolum *hodie*.

SECTIO IV.

De Angelis.

Dividetur hæc sectio in subsectiones novem. Prima erit de Natura Angelorum. 2. De intellectu. 3. De Voluntate. 4. De Motu & operationibus externis. 5. De Custodia ijs deputata. 6. De apparitionibus. 7. De bonis Angelis. 8. De malis Angelis. 9. De Gaudio & præmijs Angelorum.

SUBSECTIO I.

De Natura & Existentia Angelorum.

Cur ex ratione potest deduci esse Angelos?

Quia mundus defactò est perfectus, non esset autem perfectus, si Angeli, id est, puri spiritus non darentur: cùm enim dentur purè materialia viventia, dentur etiam mixta ex materia & spiritu, conveniens est dari purè spiritualia. Sed fateor argumentum non convincere.

Cur certus Angelorum numerus asseri non potest?

Quia nihil est ex quo ille deduci possit. Plato quidem deducebat ex numero specierum, rerum. Sed cur non etiam ex numero individuorum? Aristot. ex numero motuum cœlestium. Sed cur etiam non numero stellarum? præsertim cùm probabilius sit cœlos esse liquidos, proinde necesse non tantùm cœlos, sed & singulas stellas moveri.

Cur non possit ostendi quando sunt producti Angeli?

De Fide, Scriptura, & PP. hic non agimus, sed de sola ratione, ex qua nihil de eorum exortu constare potest, res enim quæ ex nihilo fit tota & omni modo ab arbitrio creantis pendet.

Cur Angeli nominibus egent?

Quia probabilius est res spirituales posse plures esse numero sub eadem specie. Itaque ad distingvendum unum ab altero quando est de illo absente sermo, opus est nomine, & idem urget si sola specie differant.

Cur non omnes Angeli sunt inter se æquales?

Quia regimẽ inter illos nullũ esse posset cùm omnis gubernatio fũdetur in superioritate ac inferioritate.

Cur Angelus immortalis?

Quia nihil corrumpitur nisi à suo contrario, nihil verò Angelo est contrarium: præterea nulla substantia à subjecto independens naturaliter corrumpi potest, nam expelli è subjecto non potest, nec altera in ejus locum induci, qui unicus est modus corrumpendi substantias. At verò Angelus à nullo subjecto dependet.

Cur Angeli non sint ab æterno?

Quia non sunt à se, itaque sunt ab alio neque ex aliqua re facti itaq; ex nihilo si ex nihilo itaque non semper fuerunt, atque adeò non ab æterno.

Cur inter Angelos non est propagatio?

Quia ibi solùm est generatio ubi corruptio, id enim per generationem reparatur, quod per mortem ex aliqua specie tollitur. Angeli verò sunt immortales itaque non egent propagatione, aliunde nihil urget quod fœcunditatem habere debeant.

Cur Angelus non potest habere filium?

Parens filio dat partem substantiæ, in Angelis verò est substantia indivisibilis cùm sint spiritus, itaq; ut Deus deberent dare totam substantiam Filio & multa essent mysteria Trinitatis.

Cur Angelos non est necesse fœcundos esse, sicut Deus est fœcundus?

Quia Deus est, à quo est omnis Paternitas. Id est, causa est omnis fœcunditatis, causa verò debet omnem suum effectum in se continere, nemo enim dat, quod non habet. At verò Angeli non sunt causa ullius fœcunditatis, ideò non est necesse, ut ipsi illam habeant.

Cur plura de Deo naturali lumine cognoscamus quàm de Angelis?

Quia Angelos ex motu solo cognoscimus, ex motu autem non innotescunt nobis, nisi prædicata communia, unde specifica nescimus de Angelis. Divinas verò perfectiones licet intueri in rebus creatis, ex perfectione autem rerum creaturarum tanquam ex perfectione effectûs colligimus perfectionem causæ, quidquid enim est in effectu, id ipsum eminentiori modo debet præesse in sua causa, maximè si causa sit adæquata, & non univoca, sed diversi generis cum effectu.

SECTIO II.

De Intellectu Angelico.

Cur Angelus possit aliquid de novo cognoscere?

Quia in primis hoc valdè illi convenit, cùm à natura non sciat omnia, ut quæ fiunt de novo cognoscat, & videat ubi sit locorum cùm in novum locum, vel intra novas personas venit, opus autem est ad hoc, ut illi species infundantur rerum, vel habeat vim eas sibi producendi.

Cur nesciant nostras cogitationes Angeli?

Conjicere possunt cùm sint maximæ experientiæ, & raró in nobis lateat cogitatio, quin aliquo signo se probat in corpore, cæterùm universaliter eas nesciunt, quia quævis natura rationalis habet jus ut aliquid possit occultare, itaque Deus cum Angelo non concurrit ut possit cognoscere, quæ occulta sunt, licet aliàs ex se cognoscibilia essent.

Cur Angeli quædam futura scire possint quædam non?

Quia quædam sunt necessariò futura, ut solem cras oriri, ecclipsim fore, & illorum si nobis nota causa est, illa nos etiam scimus, ut solem oriturum, vel si ignota ut de ecclipsi, & hanc si cognoscerem, & nos ista sciremus. Angeli verò causas rerum naturalium sciunt. Itaque & effectus, quædam à causis liberis pendent, v. g. quod Petrus cras orabit &c. & hæc ab Angelis sciri nequeunt, quibus negatum est secreta nostra nosse. Quædam à causis contingentibus & casu ut v. g. Petrus ignem portans amittit scintillam & domus incenditur & hi soli Deo noti, cùm in nulla causa necessaria sint, neque etiam in se ipsis.

Cur Angelus nesciat quid cogitemus cùm possit in nobis phantasmata, quæ vult movere, ad phantasma verò similis cogitatio oritur.

Si hoc esset, omnes cogitationes cognoscerent, cùm & alios phantasmata comitentur. Ut ergo cogitatio ex phantasmate oriatur debet actualiter intendere intellectus, quod nobis est liberum facere aut omittere, & illi hoc ignorant.

Cur

Cur non omnes Angeli æquè omnia intelligant?

Quia si hoc esset, non conservaretur inter illos ordo Hierarchicus, quia unus ab alio non posset illustrari & perfici, seu doceri.

SECTIO III.

De Voluntate Angelorum.

Cur multa Angelo contra voluntatem accidere possunt?

Quia multa alij possunt facere, quæ ille nollet fieri. Defacto nihil bonis Angelis accidit ejusmodi, quia in omnibus se Divinæ voluntati conformant, unde si v. g. damnetur homo, quem ille cupit salvari, judicat illum esse jure damnatum.

Cur Angeli peccare possunt?

Quia inprimis cùm habeant superiorem obligari ab eo possunt, deinde voluntatem habent defectibilem.

Cur Angeli dicuntur objecto immobiliter adhærere juxta S. Th. homines mobiliter.

Cùm intellectus adhæret alicui veritati ab ea resilire non potest, nisi aliter se illi repræsentet objectum, hoc verò est in hominibus, non autem in Angelis, nam homini in passione & tentatione existenti itemque phantasiam habenti turbatam, aliter objectum se sistit, quàm cùm est mente tranquilla. Itaque potest homo mutare judicium de rebus, non autem Angelus juxta S. Thomam.

Cur in Angelis non dantur motus primo-primi?

Quia isti motus imaginationem potiùs sequuntur quàm rationem: imaginatio verò non est in Angelis.

SECTIO IV.

De Motu & Operationibus externis Angelorum.

Cur Angelus siquidem est penetrabilis potest hominem deportare?

Non se ei opponendo, quia homo non magis ab Angelo hoc modo sustineretur quàm ab aëre, sed eum jactitando ac uniformiter impulsum imprimendo. Angelus enim potest impulsum dare. Sed quæres, quàm citò possit Angelus moveri localiter. Respondet Apolog. c. 22. *Omnis spiritus ales est, hoc Angeli & dæmones. Igitur momento ubique sunt, totus orbis illis locus unus est.* S. Hilarius in PP. 118. litera x. *Dæmonem puncto temporis omnem amplitudinem mundi hujus obire.* Idem dicit Nazianz. Orat. 34. in fine. Sed nec ipsæ indistans moveri possunt intelligentiæ, neque etiam alia movere, sed illa debent comitari nisi fortè projecerint. Ita apud Plinium lib 2. c. 88. arbores itinera publica transgressæ. Ita Celsus apud Orig. l. 3. narrat Abaridem quendam tantæ fuisse velocitatis, ut cùm sagitta immissa ferretur per aerem: dæmone nimirum subvehente. Ita cursus Simonis Magi per aërem & quadrigæ igneæ Petri ore difflatæ ut loquitur Arn. lib. 2. n. 8. Angelus autem bonus Abacuc Prophetam detulit ex Judæa in Babilonem, quem licet visus fuisset per capillos solùm apprehendisse applicuit tamen vim suam ad cæteras partes. Uti notat Abul. in c. 4. Matth. dub. 2. Idem facit cum veneficis. Sic etiam aliquando in aere ferreas vel lapideas massas detinet, quanquam aliquando per magnetem illa pependerit, quod de Serapidis Simulachro docet

S.Aug. 21.Civit.c. 6. & de ferreo Cupidine, in templo Dianæ ſine ulla alligatione pendente, Casſiod. 1.variar. 45. Ita & hypocritas nonnullos orantes ſubvexerunt malæ intelligentiæ in altum, ita fit ut lapides aliquando ſummo impetu impacti blandè tamen metam contingerent, quod à ſe conſpectum teſtatur Ananias 4. de natura dæmonis c. 28. Sic aquas impune legitur calcâſſe Oldo magus apud Olaum. Cauſat autem hoc intelligentia non ſe ſupponendo ponderi: Quia hoc modo nihil prodeſſet, ut dictum, cùm ſit ipſa ſpiritus penetrabilis ſed immittit impetum proportionatũ qui ſufficiat tantùm corpori detinendo, non autem ulterius impellendo. Et non ſolùm corpora ſed etiam ſpiritus alios movere poſſunt idque vel trahendo vel pellendo, vel vehendo. &c. Sic Angelus poteſt movere alterum pulſione immittendo in eum impetum ut in pilam. Sic etiam Dæmones vehunt animas aliquando ut tradit Thyræus lib. de locis infeſtis c. 23 n. 20. Ipſe indiviſibiliter exiſtens ſupponit ſe animæ debiliori, item indiviſibiliter locatæ & immiſto motu eam transfert non abſcedendo ſed movendo ſe ſemper cum ea. Sed an terram movere posſit dæmon aut Angelus? Reſp. Cùm actio non fiat niſi à proportione majoris inæqualitatis: majores autem vires intelligentiæ non habet quam terræ gravitas teſte S. Th. q. 16. de malo a. 10. ad 8. Igitur movere non poteſt. Idem aſſerit S. Gregor. 2. mor. c. 15. & Firmilanus epiſt. 75. inter epiſtolas S. Cypriani.

Cur Angelus posſit hominem ingenioſum reddere?

Quia id vires naturæ non excedit, ſitum enim eſt in bona humorum proportione, quæ

naturaliter & per medicinas etiã coordinari posset, sed Angel⁹ omni perfecto medico perfectior est in cognitione medicinarum, & applicare novit meli⁹.

Cur Angelus non posſit facere ut res una materialis aliam penetret?

Quia non potest rerum naturas mutare, atq; ita ex impenetrabili reddere penetrabilem. Non enim est naturarum Dominus.

Cur quosdam effectus Angelus facere posſit, alios non posſit?

Quia in quibusdam solùm usus est naturarum, in alijs dominium inveniretur ut cùm substantia mutaretur solo placito. Quod Angelo non competit. Priores itaque solùm effectus possunt Angeli, quia vel consistunt in ablatione partium ut cùm domum erigunt, vel in applicatione unius rei naturalis ad aliam ut cùm lignum exurunt, & hos effectus præstare possunt Angeli, quia solùm usum dicunt rerum. At verò animam ex uno homine in alium transferre, mortuum resuscitare, quia est novas naturas non applicatis causis naturalibus, sed solo placito suo præstare hoc est supra vires Angelorum.

Cur posſit Angelus hominem ad bonum vel malum permovere?

Quia magnâ parte res ista consistit in motu & applicatione causarum naturaliũ, permovet enim v. g. ad malum, vel objectum noxium repræsentando, vel phantasmata in cerebro coordinando, vel humores permiscendo, incendendo, refrigerando, tollendo, augendo, sensus alterando, &c.

Cur Angeli in nobis posſunt somnia excitare?

Quia possunt humorem commovere, quem sequuntur somnia, possunt & ipsa phantasmata ordinare, ex quibus oriuntur somnia possunt variè sensus afficere ut dent occasionem somniandi.

Cur Angelus posſit movere loco bovem, bos non poteſt Angelum?

Ut aliquid in aliquo recipiatur. Debet ei assimilari v. g. ut aqua in vas quadratum recipiatur debet se quadrare. Angelus autem etsi non suam essentiam, virtutem tamen potest accommodare bovi, qui habet partes, eam tam parti uni, quàm alteri imprimendo: cùm possit suam virtutem extendere, ut partibus bovis respondeat. At verò bos suam virtutem non potest assimilare Angelo ut sit indivisibilis sicuti ille est.

Cur Angelus non posſit impellere gregem ſimul paſſerum?

Potest multos simul impellere, sed si discontinuentur, non potest: nam cùm sit un⁹ simpliciter non potest applicare virtutem nisi uni rei simplici, nec eam nimis potest extendere, non movebit itaq: res discontinuas simul quas non contingit, nisi virtutem discontinuet, quod facere non potest.

Cur Angelus posſit moveri localiter cùm ſit indiviſibilis?

Indivisibile materiale moveri non posset, nisi tempore infinito, quia in quocunque minimo loci esset etiam infinito indivisibilia illi æqualia, itaque singula transeundo consumeret tempus infinitum, deberet autem hoc modo transire spatium, quia quando numerans cum numerato est ejusdem ra-

tionis puncta ejus numerat. Sed Angelus non est ejusdem rationis cum loco, nam habet extensionē cum indivisibilitate, quam non habet punctum.

SECTIO V.

De Custodia Angelis deputata.

Cur Angelos conveniat deputatos esse ad nostram custodiam?

Experimento constat quod à malis Angelis ad malum sollicitemur per suggestiones occultas, itaque conveniebat ut & ad bonum darentur nobis æquè potentes adjutores. Præterea Deus infima per media, media per summa administrat, itaque convenit ut nos per Angelos administret, qui sunt medij inter nos ac Deum.

Cur animæ post mortem non sit opus Angelorum custodiam habere?

Quia cessat finis, propter quem dari deberent custodes, nam animæ mortuorum aut possident summam felicitatem, aut sunt in via ad illam infallibiliter obtinendam, aut omninò illâ exciderunt, itaq; non videtur quid circa eos ratione providentiæ præstare deberent Angeli, propter quod illis assiduò affigerentur.

Cur Angeli permittunt hominem labi in scelera siquidem ei assistunt?

Quia ita assistunt ut exigit ratio naturæ humanæ, hoc est in nullo hominis lædendo libertatem: sequuntur enim providentiam Dei, quæ vult homini bene salvâ ejus omninò libertate. Quocirca Angelus in custodia se gerit ut Præceptor adulti Princi-

pis,

pis, qui vellet quidem ut gereret se quàm optimè Princeps, & ad hoc suaviter ducit sed nullatenus adigit.

Cur ad custodiam nostram infimi Angelorum deputantur?

Quia Angeli ut supra dictum alij sunt inferiores, alij superiores. Deus autem infima non gubernat per summa sed per media illis proxima, itaque & hominem gubernat per illi vicinum Angelum, qui inter Angelos est infimus.

Cur si quis homo peccare non posset adhuc Angelo custode egeret?

Quia Angeli nobis dantur non solùm ut à peccatis avocent, sed etiam ut ad virtutes incitent, talis verò homo qui peccare non posset, in virtutibus tamen crescere posset, itaque meritò illi Angelus attribueretur. Angelorum verò custodiam agnoverunt etiam Philosophi Gentiles, quocirca dum de illa agimus non extra Philosophiam progredimur.

Cur Angelus dicitur nostram voluntatem inflammare?

Non inflammat sed tentat, seu studet inflammare concitando passiones & sensualitatem, non autem ipsam voluntatem attingit.

SECTIO VI.

De Apparitionibus Angelorum.

Cur non vivat corpus in quo Angelus formato vel assumpto apparet?

Quia non unit se illi corpori, sed assistit ut nauta navi, proinde illud corpus nullum exercet sensum, nullum motum, nullum actum vitæ. Cur

Cur Angelus in corpore appareat?

Quia alio modo nullo à nobis sensu percipi posset, format autem sibi corpus instar cujusdam artificis & colores adjungit, ipseq; ingressus illud movet, quanquam possit & corpus recens mortui ingredi, aut etiam profundè somno sopiti, hujus lingvâ uti potest ad formandos sonos, dentibus ad cibos molliendos, quos si ad ventriculum deduxerit, homo nihil sciens satur erit.

Cur Dæmones cùm possint sibi formare corpora pulchra, in turpibus apparent?

Quia non permittuntur à Deo formare pulchra ne magis tentent, & ideò Dæmones in forma Draconum, serpentũ apparebant, etiam olim Ethnicis.

Cur homo naturaliter terretur si videat Intelligentiam?

Etiam bestia terretur naturaliter cùm videt hominem. Ratio utriusq; eadem. Quia natura inferior ad præsentiam superioris cohorrescit.

Cur Angeli verè comedere non possint, cùm apparent?

De ratione comestionis veræ non solùm est cibos per os in ventriculum traijcere & in minutissima dividere, & ex ventriculo ad membra promovere, quod Angeli totum possunt: sed & opus ut ille qui comedit verè cibum in suam substantiam possit immutare, & hoc nequeunt Angeli.

Cur Angelus dum format corpus humanum interiora in eo non format, ut quidam affirmant.

Quia

Quia v. g. nulli uſui eſſent oculi, etſi non ſolùm deſuper illos formarent, nam oculus formatus etiamſi tot haberet tunicas & humores quot noſter, nihil per eum viderent, & idem de aliis membris, ſolum ergo externam cutim circumponunt, & hoc fini illorum ſatisfacit.

Cur anima noſtra potentias materiales communicare poteſt corpori, Angelus non poteſt v. g. Potentiam viſivam.

Quia anima noſtra ex ſua eſſentia eſt corpori unibilis non autem Angelus: & ideò licet Angelus corpus aliquod organizatum aſſumeret, nihil in eo videret quia ad viſum non ſolùm organum, ſed etiam potentia requiritur.

Cur Angeli non vident nec audiunt, cùm ſint homine perfectiores, qui audit &c.

Bruta audiunt, vident, ſed non intelligunt, homines utrumque habent, Angeli ſolùm intelligunt quia audire & videre ſunt perfectiones exiguæ, viſus enim ab objecto completur. Angelicus verò intellectus non completur, quia in ſe habet ſpecies objectorum, atque ita habent quidquid eſt perfectionis in ſenſu, ſed ſine imperfectione, quam habet ſenſus.

SECTIO VII.

De locutione Angelorum.

Cur Angeli conceptus ſuos non poſſunt per voces exprimere, uti poſſunt homines?

Quia vox noſtra ordinatur à natura ad exprimendos conceptus, Angelica non eſt ordinata, ſed

per artem illam accomodant uti musici. Ideò in Angelis ars magna requiritur, ut voces conforment conceptui, nos juxta naturam operamur, deinde Angelo per voces loqui parùm prodesset, cùm auditu careat.

Cur Angelus nostram animam ingredi non possit.

Quia nec anima Angelum cum æquè sunt Spiritus sed penetrare se possunt, sed Angelus cogere non potest animam ad cogitandum, vel volendum, quod faceret si ingrederetur, & sciret ejus cogitationes.

Cur Angeli non possint nobis loqui, etsi voces forment?

Loqui est per vocem id exprimere quod in mente habemus 1. Perier. conceptus autem internus non potest in vocem derivari nisi per aliquid tale quod naturæ utriusq; communicet, anima verò est Spiritus, vox aliquid corporeum, itaq; medium debet esse quod de utroque participet, talis est vis phantastica & imaginativa, quæ concipiunt, vel apprehendunt phantasma causatum à cognitione; phantasia aliunde est materialis est enim organica, & in certa parte corporis, & sic potentiæ locutivæ similis, atq; in illam conceptum derivare potest, quod non est in Angelis.

SECTIO VIII.

De malis Angelis.

Cur asseramus dari malos Angelos?

Videmus dari aliquos effectus qui procedunt à causis non visis neque possunt procedere à rationalibus, ut cùm idolum dat respon-

responſa pro deſiderio Magi, res una ad locum alium juxta preces venefici defertur. Neque illæ cauſæ poſſunt eſſe bonæ cùm ſæpè ad ſcelera impellant, Deum blaſphement, mentiantur, & mille ſacrilegia perpetrent, itaque ſunt cauſæ malæ, ſpirituales, & ſubſtantiæ per ſe ſubſiſtentes, quæ eſt dæmonis deſcriptio.

Cur ſæpius mali Angeli occupent mulierum quàm virorum corpora?

Plures videmus energumenas quàm energumenos, hoc ideò fit quia ad operationes Dæmonum magis habilia fœminarum corpora utpote humoribus magis abundantia corruptis quàm virorum. Præterea ob humores menſtruos corruptos aut alios putantur eſſe energumenæ cùm defacto non ſint, ſed naturales vehementes paroxiſmos patiantur.

Cur plures ſunt veneficæ quàm venefici?

Quia mulier faciliùs, quàm vir à malo genio decipitur, cùm faciliùs credat, minùs diſcernat, appetentior ſit vindictæ & voluptatum, imò diaboli ipſos veneficos eligunt, qui ſunt effœminati, inſtar muliercularum timidi, creduli, mobiles, judicij exigui ac perturbati.

Cur Angeli mali certarum herbarum fumos appetunt, certarum fugiunt?

Id faciunt vel ſimulatè ut per hoc maleficos confirment qui illa ſacrilega herbarum uſtione, putant ſe ſibi dæmonia ſubjicere, vel certè quia quidam fumi illis deſideratam humorum in homine adducunt conſtitutionem, quidam diſſipant.

Cur Deus nos à malis Angelis tentari permittit?

Quia etiam hoc medium eſt utile ad eum finem, quem nobis Deus intendit, id eſt noſtrum bonum, Angelus quidem malus nocere ſemper quærit, ſed Deus in bonum vertit malum ejus intentum.

Cur homo plus nobis nocere permittitur, quàm malus Angelus?

Quia hominem aut evitare aut compeſcere poſſumus, ſi autem Angelorum malorum permiſſi eſſemus voluntati, jam pridem inevitabiliter perijſſemus, nec ullâ fugâ damna ejus evitaremus.

SECTIO IX.

De Gaudio & Pœna æterna Angelorum.

Cur & quomodo Angelus puniri potest?

Quia superiorem habet estque capax alicujus miseriæ, cùm ex se non sit necessariò felix, potest itaque puniri in intellectu, si scilicet tollantur ipsi scientiæ, non communicentur secreta, quæ communicari deberent, negentur illustrationes. Potest puniri in voluntate permittendo ut in malum propendeat. Potest & aliqua re materiali torqueri.

Cur possit Angelus dolorem percipere cùm sit immaterialis?

Dolorem qui afficit tactum non percipit, quia caret sensu tactûs. Dolorem qui afficit voluntatem percipere potest, qualem & nos percipimus ex ingratitudine alicujus vel infamatione, amici morte, amissione bonorum, & cæteris ejusmodi. Dolorem res materialis Angelo afferre posset, si illi ut carceri includeretur vel alligaretur, ita ut per hoc ejus libertas læderetur, præterea ignis illum v. g. hoc modo affligere potest quo affligit defacto nostram animam, quæ illo non attingitur, dum corpus uritur, sed ista ad Theologos.

Cur Angelis nec Fumus molestiam, nec Musica voluptatem facere potest.

Omnis actio in naturalibus fit per contactum, ut est 2. de gen. & corrupt. Sed dæmon cùm non sit quantus contingi à nulla re materiali potest, ideò nec affici, nec pati.

FINIS.

B. Albertus Magnus, in prologo compendii Theologicæ veritatis.

Sicubi in hoc scripto deviavi, parcatur mihi, quia ignorans feci: ubi verò rectè processi, laudetur gratia JEsu Christi, ad cujus honorem & Beatissimæ Matris ejus præsens Opusculum compilavi.